MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., O. P. S. C. S. Officii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C^i — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N, 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 12 - IX - 1952.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

ACTA PII PP. XII

Epistula ad Rev.mum P. Ioannem Ianssens, Societatis Iesu Praepositum Generalem eundemque consociationis ab « Apostolatu orationis » Moderatorem supremum. (Adn. F. SCHWENDIMANN). Pag. 367

ACTA SACRARUM CONGREGATIONUM

S. S. Congreg. S. Officii.

Instructio ad locorum Ordinarios: « de arte sacra ». (Adn. C. COSTANTINI). . . . . » 375

Proscriptio librorum:

ROBERT MOREL. *La Mère, Vie de Marie* (Adn. G. M. ROSCHINI) » 382
Opera quaedam de P. PIO (Adn. ***). . . . . » 387
ALBERTI PINCHERLE (v. Moravia) *Opera omnia* (Adn. R. SPIAZZI). » 388
ANDREAE GIDE *Opera omnia* . . . . . » 393
Monitum . . . . . » 393

S. Congreg. Pro Ecclesia Orientali

Decretum: Ordinariatus in Brasilia constituitur pro fidelibus rituum orientalium. (Adn. D. G. OESTERLE) . . . . . » 394

S. Congreg. de Propaganda Fide

Instructio de apto modo pro missionibus stipem corrogandi. (Adn. X. PAVENTI) . . . . . » 397

ACTA OFFICIORUM

Pont. Comm. ad codicis canones authentice interpretandos

Responsa ad proposita dubia. (Adn. R. BIDAGOR) . . . . . » 404

Pont. Comm. ad redigendum Codicem iuris canonici orientalis

Responsum ad propositum dubium. (Adn. AE. HERMAN) . . . » 421

IURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

Sacra Romana Rota

Coram R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente. Nullitatis matrimonii. (*Ob amentiam uxoris*) Die 26 februarii 1952. . . . . » 431

STUDIA ET CONSULTATIONES

L. BENDER. Ambitus impedimenti mixtae religionis (c. 1060) . . Pag. 443
S. INDELICATO. Jurisprudentia Sacrae Rituum Congregationis . . » 447
F. ROMITA. Codex juris Musicae Sacrae . . . . . » 457

JUS ECCLESIASTICUM

Italia

Canoni enfiteutici: chiarimenti sulla recente legge di revisione. (E. SANTOSUOSSO) . . . . . » 485
L'adulterio non punibile ex art. 561, II° comma C. P. e l'art. 151 C. C. (G. LENTI) . . . . . » 487
Giurisprudenza. (E. SANTOSUOSSO) . . . . . » 493

Albania

De Ecclesiae conditione in Albania. (*s. r.*). . . . . » 499

RECENSIONES

PIO XII. *Discorsi e Radiomessaggi* (*Vol. XII*). (F. CARPINO) . . » 505
L. J. FANFANI. *Manuale theorico-practicum Theologiae moralis ad mentem D. Thomae. Tomus IV - De Sacramentis - De Indulgentiis* (I. P.) . . . . . » 506
E. E. REGATILLO. *Interpretatio et iurisprudentia Codicis Juris canonici* (I. P.). . . . . » 507
G. JARLOT. *Compendium Ethicae Socialis.* (R. SPIAZZI) . . . » 508
P. MENARD. *L'exemption des Séminaires de la jurisdiction paroissiale.* (A. ROMEO) . . . . . » 509
P. H. LAFONTAINE. *L'Évêque d'ordination des religieux des debouts du monachisme à la mort de Louis le Pieux* (*840*). (A. GUTIERREZ) » 510
L. J. FANFANI. *Il Diritto delle Religiose conforme al Codice di Diritto Canonico* . . . . . » 511
VAN ACKEN. *Dottrina della Religiosa.* (A. PUGLIESE) . . . . » 513
M. CONTE DA CORONATA. *Il Terzordine Francescano.* (A. PUGLIESE). » 514
S. MOCHI ONORY. *Fonti canonistiche dell'idea moderna dello Stato.* (A. M. STICKLER) . . . . . » 516
R. SPIAZZI. *La Madonna nella vita cristiana.* (I. P.) . . . . » 519
F. LELOTTE. *La soluzione del problema della vita.* (A. PUGLIESE) . » 520
V. GENOVESI. *Poëmatia. Musa Latina.* (I. P.) . . . . . » 521

DOCUMENTA

Pii PP. XII. Nuntius radiophonicus de conscientia christiana in juvenibus recte efformanda . . . . . Pag. 525
— Allocutiones ad Delegatos Conventui nationali italico, Romae habito, Sodalitatum caritatis, vulgo « Conferenze di San Vincenzo de' Paoli » nuncupatarum . . . . . » 531

CHRONICA

Acta Pii PP. XII - Acta SS. Congregationum . . . . . » 536
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1952_77_3

EPISTULA

AD REV.MUM P. IOANNEM BAPTISTAM JANSSENS, SOCIETATIS IESU PRAEPOSITUM GENERALEM EUNDEMQUE CONSOCIATIONIS AB « APOSTOLATU ORATIONIS » MODERATOREM SUPREMUM.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Pastoralis curae varia instituta, quo melius temporum necessitatibus respondeant, indigent ut interdum servatis indole et spiritu cuiusque propriis, novis, quas attulerit aetas, condicionibus aptentur. Id iampridem contigit Piae quoque Consociationi, cui ab « Apostolatu Orationis » nomen est inditum; haec enim, quae a modicis exorta principiis, per plus quam centum annorum spatium in magnum opus succreverat, ut semet ipsam novis rerum adiunctis accommodaret, non semel — ut postremo evenit anno MDCCCLXXXXVI — sua Statuta retractavit, integris tamen servatis iis, quae essentialia Operi iudicabantur. Cum vero per quinquaginta, qui exacti sunt, annos haud pauca ab Apostolica hac Sede prodierint sive documenta sive hortamenta, quae ad varia apostolatus genera spectant, ipsamque, quam diximus, Piam Sodalitatem, utpote nostris hisce temporibus peropportunam, valde dilaudant, optimo consilio ii viri, qui eam moderantur, multo efficaciorem eam posthac fore autumarunt, si horum S. Sedis actorum vim sibi assumeret et quasi combiberet. Hac de causa Pii huius Sodalicii Statuta diligenter retractata fuere, ac nova induta forma, Sanctae huic Sedi fuere proposita.

Nos vero, quibus uberrimi peculiaris huius Apostolatus fructus plane cogniti sunt, quique alias non semel eum tantopere commendavimus, pro studio quo animarum bonum ac Dei Regni amplificationem fovemus, ea quae diximus retractata Statuta examinari iussimus, ipsaque digna visa fuere, quae plenam Nostram approbationem mererentur.

Ea enim momentum gravitatemque praeclara in luce ponunt Piae huius Consociationis; eamque, sive assequenda salus singulorum christifidelium spectatur, sive pastoralis cura universalis, exhibent tanquam efficacissimum instrumentum hodierni ministerii apostolici.

In iis quae, secundum nova Statuta « Apostolatus Orationis » ad curam pastoralem confert, tria haec peculiarissimo modo commendanda putamus.

Imprimis dum hoc Sodalicium eo christifideles inducit atque impellit, ut suis precibus, suisque laboribus, incommodis, iacturis Deo oblatis, Ecclesiae ministerium adiuvent, et hac ratione ad propagandum Christi Regnum adlaborent, non solum animarum studium impensamque de aeterna proximorum salute sollicitudinem in iisdem excitat, sed usum etiam earum rerum ac supernaturalium virium promovet et auget, e quibus efficacia et successus omnium laborum apostolicorum pendent: hac de causa id etiam efficit ut eiusmodi apostolatus operositate mere exteriore ne absolvatur, neve solidis destituatur fructibus.

Peculiari praeterea mentione dignus est modus perfectissimus, quo « Apostolatus Orationis » sodales ad precandum ad seseque apostolica ratione devovendos inducuntur; ab iis scilicet non exigitur tantum una vel altera precationis formula, sed iidem monentur etiam ut totam suam vitam in orationem ad Deum admotam et in sui ipsius veluti sacrificium apostolatus causa convertant. Per cotidianam oblationem, quae « Apostolatus Orationis » elementum essentiale est, quaeque aliis pietatis exercitiis, praesertim erga Sacratissimum Cor Iesu, perficitur, tota sodalium vita in sacrificium laudis, satisfactionis et impetrationis mutatur; et hac ratione id in actum perducitur, quod in baptismate inchoatum est: vitam nempe christiani hominis quasi sacrificium esse oportere, quod in Christo et cum Christo ad honorem Dei Patris et ad salutem animarum offeratur. Varia autem pia exercitia, quibus « Apostolatus Orationis » utitur, ut hanc oblationem compleat et perficiat, una simul sumpta quandam continent christianae perfectionis summam, et ea omnia praebent, quibus christiani per apostolatus sacrificium suam vitam sanctam efficiant, suaeque vitae sanctimonia apostolatum ipsum fructuosissimum reddant.

Dein, eo ipso quod praebet « perfectissimam vitae christianae formam » (Litt. Pii XII ad Praepositum Generalem S. I., 19 Sept. 1948; *A. A. S.*, a. XL, vol. XV, p. 500) « Apostolatus Orationis » continet quoque summam quandam et quasi compendiariam regulam curae pastoralis, quae, inter magnam apostolicorum operum varietatem sacris Pastoribus usui, non sine magna utilitate, esse potest.

Qui sacri Pastores, si oves sibi commissas ad hoc adduxerint, ut actus ab « Apostolatu Orationis » propositos continenter studio-

seque exerceant, tunc haud dubium esse potest quin ipsi partem non exiguam sui ipsorum officii impleverint. Nam dum christifideles inducunt ad cotidianum actum oblationis rite eliciendum, eos docent atque adhortantur, ut vitam suam tanquam sacrificium Deo Patri una cum Christo offerendum habeant, utque cotidie magis ad christianam illam perfectionem aspirent, qua sua cuiusque vita fiat revera oblatio non indigna Deo. Cum vero sodales eo permovent ut huiusmodi oblationem cum Eucharistico Sacrificio coniungant, et quam saepissime possunt, « in spiritu reparationis » ad Sacram Mensam accedant, sacrorum Pastorum adhortatio huc contendit, ut Incruentum Altaris Sacrificium christifideles constituant veluti suae vitae centrum. Ac praeterea, dum eos adhortantur ut suam oblationem per Mariam faciant, et qua filii amantissimi, utpote studiosae suae fiduciae signum erga Cor miserentissimum Matris nostrae, pie libenterque Rosarium recitent, Sacri Pastores ad actuosam solidamque in Deiparam Virginem pietatem eos instruunt. Dum vero sodales edocentur debere se, preces, aerumnas laboresque suos cotidie offerre pro necessitatibus Sanctae Matris Ecclesiae, prout ipse exoptat Iesu Christi in terris Vicarius, seu, ut dici solet, ad eius mentem, non solum fovent in semet ipsis amorem erga Ecclesiam ac plenissimam cum eadem consensionem, sed impensum etiam qua filii oboedientiae studium erga Summum Pontificem enutriunt, sine quo vera inter membra et Caput Mystici Christi Corporis coniunctio haberi non potest. Per incensissimam denique pietatem erga Sacratissimum Cor Iesu, quae quasi anima est huius Piae Sodalitatis, christifideles ad perquam intimam cum Christo coniunctionem vocantur: hinc fervidior fit singulorum caritas erga proximos; hinc eorundem preces, labores doloresque ad summum efficacitatis apicem adsurgunt; hinc denique studium excitatur sese Divino Cordi consecrandi Eique piamenta assidue exhibendi, quibus, Ipso pollicente, torrentes miserationis et gratiae in homines, tot miseriis implicitos, novimus esse largiendos et revera passim in eosdem effundi.

Nec praetermittendum est hanc, quam diximus, veluti summam et quasi compendiariam regulam curae pastoralis, ope « Sectionum » peculiarium, quas haec Sodalitas promovet — ut, exempli gratia, ope « Foederationum a Sacratissimo Corde Iesu » pro viris, et « Cruciatae Eucharisticae » pro pueris, quas Apostolica haec Sedes summopere iam dilaudavit — posse facilius aptari ad diversas civium classes, ita quidem ut uniuscuiusque indoli, optatis, necessitatibus magis respondeat.

Quae cum ita sint, nova Statuta Piae Consociationis « Apostolatus Orationis » auctoritate Nostra libenter probamus; eamque, hoc modo conformatam, sacrorum Antistitibus etiam atque etiam commendamus, futurum omnino confisi ut iidem accurate diligenterque pro sua cuiusque parte eamdem sint propagaturi. Spem etenim fovemus certam, fore ut haec Pia Sodalitas, nedum munera aliorum Operum Apostolicorum, impediat vel usurpet, eadem potius ad altiorem sanctitudinis gradum evehat, omnes imbuendo sanctitatis et amoris erga Deum hominesque spiritu, qui in Sanctissimo Corde Iesu assidue viget et ad congrue operandum movet.

Caelestium interea gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, dilecte fili, tum singulis eiusdem Consociationis moderatoribus ac sodalibus Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXVIII mensis Octobris, in festo Domini Nostri Iesu Christi Regis, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 365-368)

ADNOTATIONES

Litteris « Pastoralis curae », die 28 Octobris 1951 ad Praepositum Generalem Societatis Iesu datis, Summus Pontifex Nova Statuta Apostolatus Orationis confirmavit. Sunt iam quarta Statuta, quae huic Operi data sunt; et brevis conspectus priorum Statutorum conceptum non inutilem progressus eius praebebit.

Anno 1844 modestissimis principiis natus, anno 1849 primo indulgentiis a Pio IX ditatus, Apostolatus Orationis prima sua Statuta anno 1866 accepit. Haec Apostolatum Orationis ut foederationem quandam precum describunt, « ad quam ineundam non privati modo fideles, sed maxime piae fidelium Societates invitantur ». Unicum quod a sociis postulabatur, erat oblatio cotidiana, qua unusquisque suas orationes, actiones et dolores secundum intentiones Cordis Iesu praesertim pro necessitatibus Ecclesiae et pro Summo Pontifice offert. Haec oblatio cotidiana, consequentia practica doctrinae de Corpore Christi Mystico, semper ut pars essentialis Apostolatus Orationis habita est.

Secunda Statuta anni 1879 iam magis urgent, ut idea Apostolatus Orationis, praesertim cotidiana oblatio totam vitam hominis christiani complectatur, accuratius enumerando diversa elementa, quae hac oblatione attingi debeant. Praeterea aliter ac prima Statuta, haec praecipue insistunt ut singuli fideles non classes integrae adscribantur Apostolatui Orationis. Simul commendatur decas Rosarii cotidie recitanda et urgetur devotio erga SS. Cor Jesu. Etiam interna organizatio Operis magis determinatur.

Tertia denique Statuta anno 1896 edita tertium exercitium addunt, scilicet S. Communionem « reparatricem » semel in mense recipiendam et tria exercitia (oblationem cotidianam, decadem Rosarii et Communionem Reparatricem) ut tres « gradus » proponunt, ad quorum quemque fideles admitti possunt. Deinde Apostolatus Orationis accuratius limitatur et distinguitur ab aliis consociationibus piis et eius organizatio suam ultimam formam accipit.

Postremis 50 annis Apostolatus Orationis notabiles progressus fecit non tantum quod spectat numerum sociorum sed etiam quod ad eius necessitudines cum cura pastorali. Ortae sunt enim diversae « Sectiones », quae aut ipsum Opus necessitatibus quarundam classium fidelium aptabant aut munera Apostolatui Orationis propria peculiariter promovere volebant. Sic orta est « Cruciata Eucharistica » pro pueris et adolescentibus, « Foedera SS. Cordis Iesu » pro viris, Sectiones pro infirmis vel ad promovenda diversa exercitia devotionis erga SS. Cor Iesu, ad reparationem pro peccatis intemperantiae, ad promovendam assistentiam ad S. Missae Sacrificium etc. In multis regionibus, ubi Apostolatus Orationis cum ratione et consilio propagatus est, quotidie magis apparuit, eum permagnum auxilium curae pastorali ordinariae praestare posse. - Interea, his ultimis quinquaginta annis saepius a S. Sede documenta vel hortamenta data sunt pro cura spirituali fidelium, quae respiciebant etiam metas Apostolatus Orationis, e. gr. acta de S. Communione recipienda, de devotione erga SS. Cor Iesu, de doctrina Corporis Christi Mystici, de necessitate poenitentiae, de instauranda Sacra Liturgia etc. Quin immo de ipso Apostolatu Orationis Summi Pontifices non semel directe egerunt eius momentum pro nostris temporibus clare exponendo [1]. Ita factum est, ut magis in dies

[1] Litt. encycl. « Mystici Corporis » 29. 6. 1943, (AAS. 35 (1943) 246).
Litt. ad Praep. Gen. S. J. « Cum proxime » 16. 6. 1944, (AAS. 36 (1944) 238 sqq.).
Nuntius radiophonicus ad Centenarium Ap. Or. christifidelibus Hispaniae datus, 18. 2. 1945 (AAS. 37 (1945) 321 sqq.).
» ad Gallos, 17. 6. 1945 (AAS. 37 (1945) 189 sqq.).
» ad Christifideles Columbianae Reipublicae, 30. 9. 1945, (AAS. 37 (1945) 262 sqq.).
» ad Christifideles Argentinae, 28. 10. 1945. (AAS. 37 (1945) 318 sqq.).
Litt. ad Praep. Gen. S. J. « Quod sodales » 19. 9. 1948, (AAS. 40 (1948) 500 sqq.).
Adhortatio ad Clerum, 23. 9. 1950, (AAS. 42 (1950) 676).

desiderium sentiretur, ut omnia haec etiam in ipsis Statutis reciperentur et ita clarius exponeretur momentum Apostolatus Orationis tum ad perfectionem christianam assequendam tum ad curam pastoralem promovendam.

Hinc nova Statuta ea, quae in dictis actis pontificiis continentur et ad Apostolatum Orationis perficiendum et necessitatibus hodiernis accommodandum conferunt, in se comprehendunt et ipsam hanc Piam Unionem exhibere volunt ut continens « formam vitae christianae perfectae » et ideo etiam « summam quandam et quasi compendiariam regulam curae pastoralis ». Scilicet diversa elementa et praxes quae Apostolatus Orationis a suis sociis postulat, non tantum quaedam laudabilia exercitia pietatis constituunt, directa ad sublevandas quomodocumque necessitates Ecclesiae, sed omnia simul sumpta verum programma vitae christianae continent, qua socii in spiritu apostolico formantur et apostolice orando atque semetipsos sacrificando se perfectiores reddere debent. Eo ipso autem quod Apostolatus Orationis talem summam vitae perfectae praebet, etiam summam seu compendiariam regulam curae pastoralis continet. Summus Pontifex in Suis Litteris approbationis diutius in hoc insistit explicando quemadmodum Pastores animarum « si oves sibi commissas ad hoc adduxerint, ut actus ab « Apostolatus Orationis » propositos continenter studioseque exerceant... partem non exiguam sui ipsorum officii impleverint ».

Brevis conspectus ipsorum Statutorum melius monstrabit eorum momentum et munus Apostolatus Orationis in cura spirituali fidelium.

In brevi prooemio edicitur his novis Statutis naturam et finem Apostolatus Orationis non mutari; mutationes novas autem nonnisi cum prudentia et discretione fieri posse.

§ 1 agitur de natura et fine Apostolatus Orationis; hic ut Pia Unio fidelium proponitur, qui non tantum certas formulas recitando sed totam suam vitam cum Christo Deo Patri offerendo, secundum intentiones Cordis Eius orant et sacrificia offerunt et ea re ad Regnum Eius in terris propagandum adlaborant.

Cum autem haec intima unio cum Christo in orando inque se sacrificando necessario intimam unionem amoris postulet, ideo Apostolatus Orationis peculiariter insistit in devotione erga SS. Cor Iesu quatenus a suis sociis exercenda et promovenda, de qua re in § 2 est sermo. Sed eam etiam commendat quia considerat tanquam medium efficacissimum ad necessitates nostri temporis superandas et adventum Regni Dei in mundo praeparandum et promovendum.

In § 3 exponuntur media seu praxes, quas Apostolatus a suis sociis postulat aut eis commendat. Et primo edicitur has praxes, quamvis non omnes omnibus sint impositae, tamen simul sumptas

veram quandam normam christianae perfectionis continere. Simul attentio Pastorum animarum ad hoc dirigitur, ut in his diversis exercitiis Apostolatus Orationis simul sumptis medium sibi praesto esse sciant ad formandos fideles in spiritu vere christiano et apostolico (quam notam Apostolatus Orationis Summus Pontifex in suis Litteris approbationis peculiariter premit).

Quod spectat haec exercitia, Apostolatui Orationis propria, in novis Statutis quaedam mutata sunt. In Statutis anterioribus haec exercitia vocabantur « gradus », quae vox saepe in errorem inducebat, quasi inter haec diversa exercitia interna gradatio exsisteret. E contrario hi « gradus » mere historice accipiendi erant, eo quod, successive unus post alium in programma Apostolatus Orationis assumptus erat. Nunc tantum sermo est de « praxibus ». Praeterea, ut rationum theologicarum melius ratio haberetur, exercitia primi, secundi et tertii « gradus » inter se mutata sunt; ad oblationem cotidianam statim adiungitur S. Communio reparatrix vel S. Missae Sacrificium et tunc sequuntur exercitia ad implorandam intercessionem B. M. V. - Denique, convenienter ad hanc mutationem, non datur amplius admissio sociorum ad unum tantum vel alterum « gradum »; sed quicumque est paratus ad oblationem cotidianam faciendam simpliciter admissus est.

Habetur, ut prima praxis, oblatio cotidiana, quae est elementum essentiale Apostolatus Orationis, vi cuius tota nostra vita in sacrificium laudis et expiationis mutari debet. Quae oblatio fit secundum intentiones peculiares a Summo Pontifice approbatas Eiusque benedictione auctas.

Secunda praxis consistit in assistentia ad S. Missae Sacrificium et in S. Communione « reparatrice ». Hic magis quam antea insistitur in commendanda tum assistentia frequenti ad Sacrificium Missae tum Communione frequenti, quae pietatis exercitia tamen sociis non praescribuntur tanquam necessaria.

Tertia praxis est quotidiana recitatio decadis Rosarii; commendatur autem recitatio totius Rosarii (quinque decades) et fervens devotio erga B. M. V.

§ 4 accuratius circumscribit exercitia devotionis erga SS. Cor Iesu, quae a sociis assumi et promoveri convenit; sunt eae formae huius devotionis, quae saepisse ab Ecclesiastica Auctoritate sunt commendatae.

§ 5 agit de organizatione Apostolatus Orationis. Hic nihil mutatum est. Directores dioecesani, ab Ordinariis locorum propositi, instituuntur a Directore Generali vel ab eius Delegato. Directores dioecesani autem erigunt diversa « Centra localia » et nominant Directores locales.

Pro admissione *valida* sociorum (§ 6) tantum requiritur, ut

« ipsis consentientibus, eorum nomina in libro indice vel ' cartotheca ' alicuius Centri regulariter constituti inscribantur ». Simul clare edicitur unicum exercitium essentiale, quod a sociis exigitur, in oblatione cotidiana consistere. Omnia alia tantum commendantur, vehementer tamen. Praesertim urgetur S. Communio reparatrix menstrua et decas rosarii cotidiana, quae duo exercitia una cum oblatione cotidiana, quasi programma « minimum » Apostolatus Orationis exhibent.

Ad promovendum Apostolatum Orationis maximi momenti sunt « zelatores », de quorum admissione et formatione in § 7 est sermo. Accuratius quam in Statutis veteribus hic describitur, quaenam fieri debeant, ut zelatores praeparentur, tales ut servitia perquam utilia ad promovendum Apostolatum Orationis praestare possint.

Novum quid affertur in § 8 - hoc est « sectiones » quae dici possunt valde utilis evolutio Apostolatus Orationis. Hae ante aliquot decennia coeptae sunt et nunc « officialiter », agnoscuntur. Peculiariter nominantur « Foedera SS. Cordis Iesu » pro viris et « Cruciata Eucharistica » pro pueris. Manet tamen possibilitas, secundum necessitates urgentes, instituendi etiam alias Sectiones e. gr. pro aegrotis vel pro peculiaribus muneribus; e. gr. praesertim in America septentrionali institutum est illud sic dictum « Sacred Heart Program », seu emissiones radiophonicae, quae cotidie intra et extra « Status Unitos » per 600-1.000 stationes fiunt.

§ 9 denique describit relationes Apostolatus Orationis ad Actionem Catholicam aliaque Opera apostolica. Haec paragraphus peculiaris momenti est, quia Summus Pontifex non semel pressit, quantum Apostolatus Orationis ex natura sua ad formationem asceticam laicorum apostolorum conferre possit et debeat. Etiam in suis postremis Litteris idem punctum urget, dicendo Apostolatum Orationis non se immiscere in munera aliorum Operum Apostolicorum, sed unice christifideles in spiritu apostolico formare et praeparare, ut apostolatum quam fructuosissimum exercere valeant. Quapropter Apostolatus Orationis invitat et impellit suos socios, ut operibus apostolicis, imprimis Actioni Catholicae nomen dent et cum ea adlaborent.

Ultima paragraphus (§ 10) loquitur de indulgentiis et privilegiis, quorum elenchus simul cum Statutis noviter redactus est.

Haec nova Statuta, quae totam vitam hominis christiani apostolatui adiungere intendunt, Apostolatum Orationis sic evolvunt et necessitatibus hodiernis ita accommodant, ut totus curae pastorali inservire debeat. Apostolatus vero Orationis praebens nunc programma vitae christianae perfectae et « compendiariam regulam curae pastoralis » plurima, Deo dante, conferre potest ad Regni Dei incrementum.

Friedrich Schwendimann S. I.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

I

INSTRUCTIO

AD LOCORUM ORDINARIOS: « DE ARTE SACRA »

Sacrae artis, vi ipsius appellationis, munus officiumque est, domus Dei decori plurimum conferre atque fidem pietatemque eorum fovere, qui in templum congregantur, ut divinis adsistant officiis implorentque dona caelestia; ac propterea eadem semper cura adsidua vigilantique studio ab Ecclesia exculta est, ut plane congruat cum legibus suis, e superna doctrina rectaque ascesi promanantibus, quibus quidem iure optimo « sacrae » titulum vindicare sibi possit.

Merito itaque huc pertinent verba Beati Pii X Summi Pontificis, sapientes musicae sacrae normas edicentis: « Nulla adunque deve occorrere nel tempio che turbi od anche solo diminuisca la pietà e la devozione dei fedeli, nulla che dia ragionevole motivo di disgusto o di scandalo, nulla soprattutto che... sia indegno della casa di orazione e della maestà di Dio ». [1]

Idcirco a primis usque Ecclesiae saeculis Concilium Nicaenum Secundum, Iconoclastarum haeresim condemnans, sacrarum imaginum cultum confirmavit, gravissimis comminatis poenis in eos, qui audeant « improbe aliquid excogitare, quod sit contra constitutionem ecclesiasticam ». [2]

Concilium autem Tridentinum, in sessione XXV, prudentissimas de christiana iconographia edit leges, ac gravem habens ad Episcopos exhortationem ita profecto concludit: « Postremo tanta circa haec diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, quum domum Dei deceat sanctitudo ». [3]

---

[1] Motu proprio *Tra le sollecitudini*, 22 nov. 1903; *Acta Pii X*, vol. I, p. 75.
[2] Actio 7a et ultima definitio Synodi 2ae, Mansi, *Sacr. Conc.*, XIII, col. 730.
[3] Sess. XXV, *De invocatione, vener. et Reliquiis Sanct. et sacris Imaginibus.*

Urbanus VIII, ut Synodi Tridentinae de sacris imaginibus praescriptio exsecutioni fideliter mandetur, peculiares addit normas, affirmans: « ...quae oculis fidelium subiiciuntur non inordinata nec insolita appareant, *sed devotionem pariant et pietatem...* ». [4]

Denique Codex Iuris Canonici universam Ecclesiae de arte sacra legislationem per summa capita colligit (cc. 485, 1161, 1162, 1164, 1178, 1261, 1268, 1269 § 1, 1279, 1280, 1385, 1399).

Peculiari digna sunt memoratu praescripta can. 1261, quo locorum Ordinarii advigilare tenentur, « praesertim ne in cultum divinum... quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum »; et can. 1399, 12°, quo « ipso iure prohibentur... Imagines quoquo modo impressae... ab Ecclesiae sensu et decretis alienae ».

Recens quoque Apostolica Sedes deerrantes sacrae artis formas et contaminationes reprobavit. Neque ullius momenti est quod nonnulli obiiciunt, scilicet aptandam esse artem sacram novorum temporum necessitatibus atque condicionibus. Etenim sacra ars, cum christiana societate exorta, proprios fines habet, a quibus nunquam declinare, propriumque munus, cui nunquam deesse potest. Quare Pius XI ven. mem., novam Pinacothecam Vaticanam auspicans, de arte sacra sermonem faciens, postquam quandam *novam*, quam dictitant, *artem* memoravit, gravia haec verba adiecit: « Lo abbiamo del resto già più volte espresso con uomini d'arte e con Sacri Pastori: la Nostra speranza, il Nostro ardente voto, la Nostra volontà può essere soltanto che sia ubbidita la legge canonica, chiaramente formulata e sancita anche nel Codice di diritto canonico, e cioè: che tale arte non sia ammessa nelle nostre chiese e molto più che non sia chiamata a costruirle, a trasformarle, a decorarle; pur spalancando tutte le porte e dando il più schietto benvenuto ad ogni buono e progressivo sviluppo delle buone venerande tradizioni, che in tanti secoli di vita cristiana, in tanta diversità di ambienti e di condizioni sociali ed etniche, hanno dato tanta prova di inesauribile capacità di ispirare nuove e belle forme, quante volte vennero interrogate o studiate e coltivate al duplice lume del genio e della fede ». [5]

Nuper autem Pius XII, feliciter regnans, in Litteris Encyclicis « De Sacra Liturgia », die XX mensis Nov., a. MCMXLVII datis,

[4] *Sacrosancta Tridentina*, § 1, die XV mensis Martii, anno MDCXLII, *Bullarium Romanum*, Taurinen. editio, XV, 171.

[5] Sermo diei 27 oct. 1932, *A. A. S.* XXIV [1932], p. 356.

christianae artis officia presse luculenterque exposuit: « ...oportet omnino eam nostrorum temporum artem liberum habere campum, *quae sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat;* ita quidem ut eadem ad mirabilem illum gloriae concentum, quem summi viri per revoluta iam saecula catholicae fidei cecinere, suam queat adiungere vocem. Facere tamen non possumus quin, pro officii Nostri conscientia, eas imagines ac formas, recens a nonnullis inductas, deploremus ac reprobemus, quae sanae artis deformationes depravationesque videantur, quaeque etiam nonnumquam decori, modestiae ac pietati christianae aperte repugnent, sensumque vere religiosum misere offendant; hae quidem a nostris templis arcendae prorsus atque expellendae sunt, ut « generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit » (can. 1178). [6]

Hisce omnibus attente consideratis, Suprema haec Sacra Congregatio graviter sollicita de fide pietateque in christiano populo per artem sacram servanda, normas, quae sequuntur, cunctis terrarum orbis Ordinariis in memoriam revocandas decrevit, ut sacrae artis formae et rationes domus Dei decori et sanctitudini omnino respondeant:

De architectura. - Sacra architectura, licet novas formas adsumat, nequit ullo modo profanis aedificiis adsimilari, sed semper munere suo, quod proprium est domus Dei ac domus orationis, fungi debet. Accedat quidem in aedificandis templis cura illa fidelium commoditatis, qua ipsi meliore visu animoque divina officia participare queant; niteat quoque nova ecclesia pulchra linearum simplicitate, quae a fallacibus ornamentis abhorret; sed omnia diviteantur, quae artis operisque quandam negligentiam praeseferant.

In can 1162, § 1, cautum est: « Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Ordinarii loci consensu scriptis dato, quem tamen Vicarius Generalis praestare nequit sine mandato speciali ».

In can. 1164, § 1: « Curent Ordinarii, audito etiam, si opus fuerit, peritorum consilio, ut in ecclesiarum aedificatione vel refectione serventur formae a traditione christiana receptae et artis sacrae leges ».

Districte autem mandat haec Suprema S. Congregatio ut sancte serventur praescripta cc. 1268 § 2 et 1269 § 1: « Ss.ma Eucharistia custodiatur in praecellentissimo ac nobilissimo ecclesiae loco ac proinde regulariter in altari maiore, nisi aliud venerationi et cultui

[6] *A. A. S.* XXXIX [1947], p. 590 s.

tanti sacramenti commodius et decentius videatur... Ss.ma Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito ».

De arte figurativa. - 1. Ad praescriptum can. 1279: « Nemini liceat in ecclesiis, etiam exemptis, aliisve locis sacris ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Ordinario loci sit approbata » (§ 1).

2. « Ordinarius autem sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae cum probato Ecclesiae usu non congruant » (§ 2).

3. « Nunquam sinat Ordinarius in ecclesiis aliisve locis sacris exhiberi falsi dogmatis imagines vel quae debitam decentiam et honestatem non praeseferant, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebeant » (§ 3).

4. Si in dioecesanis Commissionibus desint periti, aut dubia vel controversiae exoriantur, consulant locorum Ordinarii metropolitanas Commissiones vel Romanam de arte sacra Commissionem.

5. Ad normam can. 485 et 1178, curent Ordinarii, ut removeantur a sacris aedificiis ea omnia, quae sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnent; atque severe prohibeant ne multiplices statuae effigiesque mediocris notae, plerumque stereotypae, in ipsis altaribus vel ad proximos sacellorum parietes venerationi fidelium inepte inconcinneque exponantur.

6. Episcopi et Superiores religiosi denegent licentiam edendi libros, folia vel libellos periodicos, in quibus imagines impressae sint, ab Ecclesiae sensu et decretis alienae. [7]

Quo autem tutius locorum Ordinarii e Dioecesana pro Arte Sacra Commissione exquirere atque accipere valeant consilium, quod cum Apostolicae Sedis praescriptis atque ipsius artis sacrae fine minime dissideat, curent iidem ut in praedictum collegium cooptentur viri, qui non modo sint arte periti, sed etiam christianae fidei firmiter adhaereant, ad pietatem sint informati et certas rationes, ab auctoritate ecclesiastica definitas, animo libenti sequantur.

Opera autem picturae, sculpturae et architecturae exequenda committantur solummodo viris, qui peritia ceteros praecellant quique sinceram fidem ac pietatem, cuiuslibet artis sacrae finem, exprimere queant.

Tandem curandum ut ad sacros ordines adspirantes in Philoso-

---

[7] Cfr. can. 1385 et 1399, 12°.

phicis et Theologicis scholis, modo singulorum ingenio atque aetati accommodato, erudiantur in arte sacra atque ad eiusdem sensum informentur a magistris, qui mores institutaque maiorum vereantur et Sanctae Sedis praescriptis obsequantur.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 30 Iunii 1952.

\+ I. Card. Pizzardo, *Secretarius*

L. + S.

Alaphridus Ottaviani, *Adsessor*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 542-546).

ADNOTATIONES

Instructio de arte sacra a Suprema S. Congregatione S. Officii nuper promulgata, perspicuitate omnino praestans apteque cunctas quae ad rem spectant quaestiones exsolvens, peropportuno tempore prodiit, ad errores dissipandos falsique nominis artem e templis arcendam, quae quidem, recentiorum temporum condicionibus obtemperare contendens, iam sacras inceperat imagines deturpare, non sine gravi christifidelium scandalo opinionumque perturbatione.

Inter omnes constat ingenuas artes, ad formas sive cogitandas sive exprimendas quod attinet, praesenti hac aetate gravissimo laborare discrimine. Qua de re, vir quidam in artium studio versatissimus mihi scribebat: « Quello dell'arte è un soggetto spinoso e complicato, che oggi più che mai occorre affrontare coraggiosamente. Il male è vecchio e difficile a curare, perchè esso non dipende esclusivamente dagli artisti, ma dallo sfacelo del mondo intellettuale. Si può ben dire che l'Arte è il sismografo della società umana, che già da mezzo secolo segna terremoto. Aggiunga mancanza di fantasia, mania di fare del nuovo a tutti i costi, teorie errate che negano tutto ciò che prima era imprescindibile per creare un'opera d'arte (disegno, colore, luci), e infine l'anelito di creare qualcosa di superiore che sfidi il tempo e procuri gioia elevando gli animi, e non avrà ancora tutto, perchè oggi l'umanità non sa cosa sarà il suo domani e tale incertezza generale esaspera le menti, rende possibile questo baccanale incomposto cui partecipa l'Arte vestita da maschera.

« Ho visto esposizioni d'arte sacra, ma quanto rare erano le opere che si sarebbero potute collocare in un ambiente sacro. Come crearle se non si ha fede? Questi ragionamenti mi turbano da lungo tempo. Perciò mi sono deciso a considerare questo periodo doloroso

delle arti, quale un periodo transitorio, anche se lunghissimo, che l'umanità potrà superare solamente quando anche la vita sociale avrà riacquistato il suo equilibrio. Per ora non c'è che l'inibizione di ammettere tali brutture nelle chiese e ambienti religiosi, che possa arginare un po' la marea minacciosa ».

Eadem apud Marcel de Costa legimus: « L'arte sacra muore perchè l'uomo, e l'artista e l'adoratore che sono nell'uomo, sono sul punto di morire. L'uomo moderno ha spezzato i legami vitali che lo univano alla creazione e al Creatore, ha perduto le radici che fanno affluire verso di lui, dal fondo dell'universo e del suo Principio, la linfa vivificante della sua esperienza quotidiana del reale, del suo amore innato del Bello, della sua relazione con la Trascendenza divina ».

Donec deformis nostri temporis ars extra sacrarum aedium saepta bacchabatur, atque Expositiones, commentaria, profanaeque vitae usum tantummodo spectabat, nulla causa erat cur S. Officium (cui competit, tamquam « fidei et morum doctrinae » custodi ac vindici (cfr. c. 247 § 1), etiam arti *sacrae* normas praefinire) ad se huiusmodi negotium revocaret. Eadem tamen ars postremis hisce temporibus templa ipsa contaminare ausa est, neque defuerunt artifices religiosique quoque sodales qui eius generis novitates amplectarentur, perperam sibi persuadentes talia deliramenta eorumque auctores recte laudari et comprobari posse. Revera in Gallia commentarium editur, *L'Art sacrée* inscriptum, quod totum est in his novitatibus defendendis, quas quidem etiam belgicum *L'Artijian liturgique* saepe dilaudat. Quod autem vituperabilius est, doctrinae huiusmodi ad effectum sunt deductae. In ecclesia enim pagi cuiusdam, vulgo « Assy » nuncupati, monstruosa quaedam figura publicae fidelium venerationi exposita est, quam non Christi, uti auctor volebat, sed ranuculi potius cruci affixi imaginem merito putares. Quae quidem ridicularis effigies, cum grave scandalum inter fideles excitavisset, iussu Episcopi e sacro loco sublata est. Hinc acerrima contentio inter praecipuorum diariorum scriptores, alios aliter sentientes, adeo ut in Gallia ortum sit id quod vulgo vocatur *Querelle de l'Art. sacrée;* quam quidem inscriptionem fert fasciculum, quod hodiernae artis fautores nuper ediderunt [1].

Galliae Episcopi, in conventu die 28 aprilis 1952 celebrato, deformi huic sacrae arti diserte adversati sunt. In Italia, anno 1951 habitae sunt Venetiis atque Novariae artis sacrae Expositiones, quae aberrantes opinationes deformesque formas hodiernae christianae artis manifesto ostenderunt. Idem praeterea in Germania, in Hollandia et in aliis regionibus evenit. Quidam pictor, ad rem quod attinet, mihi scribebat: «... In mezzo al disordine presente,

[1] La Querelle de l'Art sacré - Editions du Cerf - Paris, 1951.

solo il ricorso a Roma è possibile; è indispensabile, anzi urgente, perchè ben presto sarà troppo tardi; non solo non ci sarà più l'arte cristiana, ma nessun'arte. Le pecorelle del gregge domandano protezione ».

Nunc vero Roma locuta est, eiusque sententiam summa animi laetitia Clerus plerique artifices exceperunt. Nec momentosa huius Instructionis gravitas publicos ipsos diariorum scriptores effugit, qui proinde hand dubitaverunt documentum illud laudibus extollere, vel etiam dubia de recentiorum temporum arte proponere. Quae omnia vitam ostendunt, aperteque demonstrant « punctum dolens », quod aegrotantes ingenuas artes nunc afficit, tactum esse. Agitur profecto de solemni summaeque gravitatis documento, quod nubes infestas periculorumque plenas disicit, ac tutum pandit iter terendum, ut ars christiana iterum florescere valeat.

Quispiam dixerit: « Nihil novi in Instructione continetur, ad ipsam rei naturam quod attinet ». Fateor utique, eo tamen sensu, et eodem modo quo de divinis praeceptis in Sinaitico monte promulgatis loqui debemus dici potest. Nam Apostolica Sedes grave inculcat officium Episcopis, ecclesiarum rectoribus necnon artificibus, leges observandi quae iam pridem de hac re latae sunt, quaeque vel ignorantia vel etiam consulto passim proculcabantur. Temporibus quoque Christi leges vigebant quae Templi decus atque reverentiam apprime tuebantur: necesse fuit tamen, ut Redemptor noster flagellum adhiberet ad mercatores e templo pellendos, qui illud speluncam latronum reddiderant. Legimus apud Sacras Scripturas Iosiam regem, cum Ierosolymitanum Templum purificaret atque reficeret, amissum legis volumen reperisse; eundem postea, lecto libro coram universo populo, imperasse, ut abominanda gentium idola removerentur. Non alia est vis huiusmodi Sanctae Sedis Instructionis. Probe novi Episcopos, nec non ecclesiarum rectores artificesque plurimos, de divini cultus dignitate atque decore apprime sollicitos, iamdiu expectasse documentum auctoritate pollens, quod tantam rerum perturbationem in provincia sacrae artis dirimeret. Documentum huiusmodi tandem habemus.

« Domus mea domus orationis est ».

« Adorate Dominum in ornatu sacro ».

Celsus Costantini
Archieph. tit. Theodosiopolitanus

PROSCRIPTIO LIBRORUM

I

DECRETUM

Feria IV, die 28 Maii 1952

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus et fidei morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur: Robert Morel, *La Mère, Vie de Marie*, Paris, Sequana, 1946, et eiusdem versionem germanicam: *Das Leben Marias*, Olten, Walter.

Et sequenti Feria v, die 29 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII, in solita Audientia Exc.mo P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 14 Iunii 1952.

L. + S.

Marinus Marani, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 481 s.).

ADNOTATIONES

Sancta sancte tractanda esse cuique patet. B. Virgo Deigenitrix vero, utpote « Tota sancta », peculiari quadam ratione sancte tractari meretur. Ad hoc autem assequendum, praeter praeparationem sive historicam sive theologicam, peculiaris quaedam ingenii suavitas animique nobilitas requiritur. Praecipue tamen necessaria apparet plena et perfecta mentis adhaesio his omnibus quae circa B. Virginem Magisterium Ecclesiae, sive solemne sive ordinarium, saeculorum decursu docuit.

Fundamentalibus hisce criteriis haud se conformari debuisse putavit Robertus Morel in opere cui titulus: *La mère, Vie di Marie*, (Paris, Réné Juillard, Sequana, 1946) cuius versio etiam in linguam teutonicam paracta fuit (*Das leben Marias*, Olten, Verlag Otto Walter). Iuveni auctori catholico negari certe non potest, praeter singularem scribendi peritiam, recta quaedam intentio exhi-

bendi, in suo opere, figuram vere « historicam » B. Virginis vanis illis superfluisque ornamentis exutam quibus « adoratores » eius illam induerunt: « Mon desir a donc été de supprimer légitimement, selon les volontés de plusieurs et selon ma volonté, tout ce qui n'était que la conspiration des adorateurs de Marie, pressés autour d'elle. (Oh! ils ont bien le droit d'adorer, eux, comme ils veulent, et même en revêtant Marie de chemises de dentelles ou en la coiffant d'une couronne en or massif et incrustée de diamants! Mais puisque je sais que sur la terre, cette terre, elle ne portait qu'un pauvre diadème d'étoffe orné de trois pièces d'or représentant Bethlehem, la ville de David, Jérusalem et Nazareth! et que dans le ciel elle est sous une couronne que par ici nous ne pouvons pas même imaginer!...) Enfin j'ai mis mon personnage dans ce qu'il avait de plus naturel, et par ce quoi il nous est d'alleurs surnaturel, à nous, du christianisme.

« Je n'ai pas grimé Marie, non plus costumée selon mes imaginations; je l'ai très simplement sortie de ses petites chapelles » (p. 22). At, proh dolor! auctor in opere suo conscribendo, mediis usus est minime aptis ad « historicam » Virginis figuram exhibendam. Haud raro enim, in sua narratione, res indubie historicas ex limpido fonte evangelico haustas cum rebus ex turbidis apocryphorum rivulis depromptas absque sufficienti discrimine permiscet, quin « nucleum historicum » in ipsis — si forte adsit — absconditum adinvenire curet. Hinc fit ut textus quidam Evangelii S. Lucae una cum textibus apocryphi Protoevangelii Jacobi aut Evangelii pseudo-Matthaei laudati inveniantur ac si eundem prorsus historicum momentum sibi vindicarent. In narrationibus vero, quae minutissimis notitiis ethnicis — haud semper rerum veritati congruentibus — referta apparent, nulla fere cura adhibetur distinguendi, prout oportet, inter historiam et legendam, inter certa et probabilia, inter verum et verisimile, inter phantasticum et reale. Hinc fit ut figura B. Virginis, hac agendi ratione descripta, valde diversa appareat ab illa quam nobis exhibet Ecclesia.

Nec desunt, in hoc opere, quaedam quae crudum verismum sapiunt quaeque B. Virginem offendendo, illam apud lectores deprimunt, prout, exempli gratia, physiologica descriptio nativitatis eiusdem Virginis.

Quaedam vero ordinarium decorem offendunt. Ita, e. g., postquam dixit de diligenti studio legis ex parte ipsius Virginis sub ductu Doctorum in templo, addit: « les mamans pensent, qui me lisent, qu'elle aurait pu s'occuper à autre chose, broder son trousseau, tresser ses nattes ou préparer le feu! Et encore, que voulez-vous donc que soit la terre? Plus que la terre? Et parce que ce corps avait une poitrine et des ovaires, il allait se mettre au service

d'une maison et d'un homme, sans prendre le temps de prier? Miriam n'avait pas, et surtout Dieu n'avait pas la prétention de faire une femme forte, montée en jambes et assise en hanches » (p. 95). Et p. 144: « Quand elle quittait la maison pour quérir des fruits ou ramasser dans les campagnes proches les fagots d'excréments d'animaux, de brousailles et de chardons pour le feu, elle baissait son voile sur son visage, et saluait les voisins. On ne pouvait rien en dire » (p. 144).

Sed peiora adhuc in praefato opere inveniuntur quae personam ipsam Deiparae attingunt. B. Virgo, iuxta auctorem, putabat Jesum filium suum parvis aegritudinibus (puta febri melitensi!...) subiectum fuisse: « Jechouah, dans sa chair, dépendait de la terre et Miriam ne se rebiffait pas devant la volonté de Son Seigneur qui mettait Son Fils à l'état d'homme menacé des petites maladies des hommes: le mal de dent, le mal de tête, le mal de pied, les boutons de chaleur, et la fièvre de Malte que donnait le lait de chèvre » (p. 198). Et addit: « Miriam conduisit l'enfant à l'école de Nazareth que tenait le hazzan de la synagogue, quand il eut ses cinque ans tout à fait. Elle lui expliquait, à la maison, comment on devait lire les rouleaux. Il écoutait, il questionnait. Il avait une vive intelligence qui réconfortait la mère dans ses pensées: « Ignore-t-il donc ce qu'il est? » (p. 198). B. Virginem, a peccati fomite (consectarium peccati originalis) immunem, Auctor tentationibus carnalibus subicit.

In amissione pueri duodennis in Templo, B. Virgo, iuxta A., ita se gessisset: « Et comme désespérément ils le recherchaient par tout Jérusalem, ils abordèrent le temple, et ils aperçurent une assemblée de docteurs, et un rassemblement autour des docteurs. Ils n'avaient pas l'idée de s'approcher, l'âme en peine, mais leurs yeux qui erraient par l'habitude de le chercher virent dans l'assemblée des docteurs... Non! D'abord on dit non, quand on n'attendait plus le oui. Non! de non. Lui, lui, lui! Jechouah était assis au milieu des docteurs.

« En le voyant, ils furent stupéfaits. Et sa mère s'avança vers le groupe des docteurs qu'il écoutait et qu'il interrogeait; et elle vit que tous ceux qui l'entendaient étaient ravis de son intelligence et des réponses.

« Mon enfant! ».

« ... Pourquoi as-tu agi ainsi avec nous! » La mère reprochait avec les mots de la Vierge, et la Sainte Vierge prenait devant Lui la défense de la mère » (p. 203-204).

Durante vero vita pubblica Filii, post verba illa a Christo prolata: « Quae est mater mea... » (Mt. 12, 16-50; Lc., 8, 19-21; Mc. 3, 20-21, 31-35), haec inverosimilia et iniuriosa scribere audet: « Elle

s'enferma toute seule, et elle baissa sa pauvre tête engloutie jusqu'au front dans les rides, au creux de ses vielles mains, et elle fit un retour sur elle-même parce qu'elle se sentit soudain lasse à mourir et qu'avant de murir elle voulait revoir sa vie.

« Et toutes les réalités l'accablèrent. Ce fils n'était pas le sien. Par la grâce de l'Esprit, sous l'annonce secrète de l'ange Gabriel, elle avait conçu en son sein le rejeton de David. Mais ce fils n'était pas le sien. Quand toutes les mères se plaignaient et suffraient de là, elle, Miriam, enceinte, n'avait rien du tout souffert. Et elle s'était même rendue dans ce froid à Bethlehem avec Yosé, à quelques jours de la naissance. Non, Il n'était pas son fils, Il ne lui devait rien, pas même un regard. Sur cette place, Il ne l'avait pas regardée et il l'avait giflée, publiquement bafouée et reniée, et repoussée. Seigneur! Seigneur! Toute la vérité qui croulait sur Sainte Marie, je la sens, vous me le dites vous-même, Sante Vierge, que c'était prouvé que vous n'étiez pas Sa Mère. Il n'y avait pas eu ce cri des mères qui déjettent leur fruit de neuf mois, ni cette souillure du sang. Et vous étiez demeurée Vierge, vous, comme si vous n'aviez jamais enfanté. En vérité, vous n'aviez jamais énfanté, et vous ne connaîtriez jamais d'homme. Votre chair était close, et votre viellesse l'avait surprise dans cet état de virginité.

« Miriam ordonnait enfin sa vie, parce qu'elle croyait mourir tellement la fatigue lui tirait sur les jambes.

« En somme, moi, me voilà, et, Lui il est à côté, ailleurs, et si je suis à lui, parce que lui ne peut être à moi, c'est seulement parce que Son Père a regardé Sa Servante.

« Pauvre vieille, qu'est-ce que tu désires!

« Tu te dis, mon âme, que tu as souffert, et que c'est toi qui as reçu les bergers, les anges, les bètes et les Mages? Vanité, vanité, pauvre vieille femme! Ce sont les anges qui arrangeaient tout, et qui conduisaient les bergers jusqu'à la grotte, et c'était l'étoile du Seigneur qui conduisait les Mages sur les routes de leur Orient. Et tu crois donc que tu l'as sauvé d'Hérode, sur ton âne, ta bourrique? Sois raisonnable, mon âme. C'est l'ange qui a mis Yosè en garde et qui lui a dit: « Va, emmène la mère et l'Enfant en Egypte ». Et nous avons obéi, sans ennui, sous la protection du Seigneur. Tu as eu la fatigue au long de la fuite, l'ankylose dans les jambes » (p. 239-40).

B. Virginem A. exhibet, circa 45 aetatis annum, iam senescentem: « pauvre vieille » (p. 240), « âme de vieille Vierge » (p. 241), « pauvre vieille chiffe » (ibid.), « vieilles jambes » (i 243), « tout vieille, toute délassé » (p. 242), « sa vue baissait comme son dos » (p. 235), « miraculesement, la jambe perde son poids de rhumatisme » (j. 245) ecc.

B. Virgo, quemadmodum et Apostoli, minime intellexisset, iuxta A., nuntium propriae mortis a Christo prolatum: « Il annoçait à ses apôtres la mort du Fils de l'Homme, mais ses apôtres n'avaient pas alors l'intelligence, ni personne, ni Miriam; et personne ne pensait à la mort de Dieu » (p. 242). B. Virgo, iuxta A., non credidit in mortem redemptricem Filii sui, et etiam iuxta crucem, « elle attende les trompette du ciel qui vont venir le délivrer » (p. 248), « exalté dans l'attente de Son miracle » (p. 249).

Alia plura, praeter haec, adduci possent, sed relata sufficere puto ad Decreti S. Officii rationem reddendam. Auctor, rebellionem pii fidelium sensus praenoscens, lectorem monere curat: « Je défends qu'on trouve ici une expression ou une idée par laquelle j'aie manqué de respect à la Sainte Vierge » (p. 20)!... Et addit: « Et tant mieux, oui, tant mieux, si j'ai abaissé, parce que, pour nous, c'est la meilleure manière de relever » (Ibid.). Sed si pro ipso A. humiliare idem est ac exaltare, pro fidelibus Ecclesiae catholicae filiis non ita. Tandem, A. fateri non veretur: « Je sais d'avance que les protestantes m'approuveront » (p. 23). Et de hoc nemo, puto, dubitare valet cum opus afflatum protestanticum, scienvel inscienter, manifesto prodit. Iure igitur meritoque a catholicis repudiatur, cum nemo — iuxta illud Domini nostri — duobus dominis servire possit.

Gabriel M. Roschini O. S. M.
Qualificator S. Officii

II

DECRETUM

Feria IV, die 23 iulii 1952

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, decreverunt tamquam praedamnatos habendos esse, ad normam can. 1399 C.I.C., atque in INDICEM librorum prohibitorum inserendos libros qui inscribuntur:

Argentieri Domenico, *La prodigiosa storia di P. Pio*, Milano, Tarantola, 1951.

Apollonio Donato, *Incontri con P. Pio*. Foggia, Cappetta & F., 1951.

Fiorentini Guido Greco, *Entità meravigliosa di P. Pio*. S. Maria Capua Vetere, 1949.

Lotti Franco, *P. Pio da Pietrelcina*. S. Giov. Rotondo, Abresch, 1951.

Camilleri Carmelo, *P. Pio da Pietrelcina*. Città di Castello, Soc. Tip. « Leonardo da Vinci », 1952.

Pedriali Gian Carlo, *Ho visto P. Pio*. Foggia, Cappetta, 1948.

Delfino-Sessa Piera, *P. Pio da Pietrelcina*. Genova, Demos, 1950.

Trabucco Carlo, *Il mondo di P. Pio*. Roma, E. Giacomaniello, 1952.

Et sequenti Feria V, die 24 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. PIUS Divina Providentia Pp. XII, in audientia E.mo ac Rev.mo D. Cardinali a secretis Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 30 iulii 1952.

Marinus Marani

Supr. S. Congr. S. Officii Notarius

(*Oss. Rom. 3 Agosto 1952*).

ADNOTATIONES

Il Decreto si richiama al Can. 1399, che al n. 5 prescrive: « libri e opuscoli che narrano di nuove apparizioni, rivelazioni, visioni, profezie, miracoli ecc..., se sono pubblicati senza l'osservanza delle prescrizioni canoniche ».

Ora fra le prescrizioni dei canoni c'è anche che queste pubblicazioni devono essere prima sottoposte alla revisione ecclesiastica (can. 1385).

Il motivo principale del Decreto sta appunto nella mancanza della necessaria revisione ed approvazione ecclesiastica.

Lo stesso Padre Pio da Pietrelcina ha detto diverse volte che si scrivono ed asseriscono di lui cose, anche meravigliose, che non corrispondono al vero.

La proscrizione delle opere elencate nel Decreto del Sant'Offizio è un esempio, perchè le numerosissime pubblicazioni che trattano simili argomenti devono avere lo « imprimatur » ecclesiastico.

La dichiarazione del Sant'Offizio non implica una condanna della persona del Padre Pio e nemmeno delle persone degli autori dei libri stessi.

Questo Decreto deve servire a richiamare tutti ad una maggiore moderazione e prudenza in materie così delicate.

* * *

III

DECRETUM

Feria IV, die 2 Aprilis 1952

In generali consessu Supremae S. Congregationis S. Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda mandarunt *Opera omnia* Alberti Pincherle (v. Moravia).

Hac oblata occasione, E.mi ac Rev.mi Patres, ingens damnum deplorantes quod animabus infertur cum ex effrenata licentia edendi ac divulgandi libros, libellos, ephemerides quae res lascivas seu obscenas ex professo narrant, describunt aut docent, tum ex nefasta eadem indiscriminatim legendi cupiditate, *monendos* censuerunt:

omnes christifideles, ut memores sint gravissimae obligationis ab eorumdem librorum et ephemeridum lectione prorsus sese abstinendi;

eos, ad quos pertinet iuvenum institutio atque educatio, ut, gravissimi officii conscii, illos ab huiusmodi scriptis, utpote ab insidioso veneno, omnino arceant;

eos tandem, qui pro suo munere civium mores moderari tenentur, ne huiusmodi scripta, quae ipsa naturalis honestatis principia ac fundamenta evertere nituntur, edi et divulgari sinant.

Sequenti Feria V, die 3 Aprilis 1952, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII, in solita Audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori S. Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 20 Maii 1952.

Marinus Marani, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

(*A.A.S.* vol. 44. pag. 432).

ADNOTATIONES

Nihil naturalius atque rectius quam Ecclesia christifidelibus grave periculum, quod afferunt opera A. Moravia, notaverit et ex eo prohibuerit ne legantur. Nam obscenum esse argumentum etiam leviter legentibus apparet; sed etiam, cum perattente legantur et exactissimo iudicio examinentur, scriptoris positio, quae praecipue extra doctrinam est de vita et moribus, patefit; talis igitur ut iis

qui legant animo non parato et incauto exitialis sit. In libris enim A. Moravia [1], qui ut omnes sciunt, quo obsceniores sunt eo latius leguntur, quasi hoc unum de vita porrigitur, dico sexum. Etsi quaestiones, quas scriptor agit, diversae sunt, ab « indifferentia » usque ad « conformismum », ut aiunt, tamen « sexus » assidue adest, de quo disceptatio usque ad minima et subtili indulgentia aucta et peracta est, quamquam auctor de sua ficta seiunctione, immo concelebrato officio censorio, decipi potest aut decipere.

Aliqua volumina minus obscenitatis habent; sed scriptoris perfectam virtutis moralis absentiam praebent et, qua moralis vitae fundamentum diruunt, conscientiae infastae sunt; eademque de actuosa virtute desperationem inferunt et in loquendo de vitiis — quae ceterum ita non habentur — summam impudentiam ostendunt; denique incautos labefactant atque eorum animos et vitas excitant.

Operibus A. Moravia decursus adest infestus, quia morali virtute in deterius mutantur. Hinc si in libro, qui *Gli Indifferenti* inscribitur, singulorum et populorum coruptela morum ostenditur, omnibus ita fatalis ut eius vis sustineri non possit; in parvo vero libro, cui titulus *La disubbidienza*, sexus amor voluptas rarissima, immo fere unica, extra censuram vel moralem institutionem, in vita habetur; in alio libro, qui *La Romana* inscribitur, in quo meretrix suae vitae narrationem dicit, argumentum recte et ratione ex animi sententia, eius, quae primas agit, provenit: suam esse artem ad mercedem et questum abductam; cuius a natura adiumentum habuerit; laeto animo eam ut munus a Deo sibi assignatum se accepisse.

En ethica disceptatio quae inest verbis, quae non inconsiderate scriptor a misera meretrice dici vult: « Così, dopo poche ore di angoscia, io rinunziai a lottare contro quello che pareva essere il mio destino e anzi lo abbracciai con più amore, come si abbraccia un nemico che non si può abbattere, e mi sentii liberata. Qualcuno penserà che sia molto comodo accettare una sorte ignobile ma fruttuosa, invece di rifiutarla. Ma io mi sono spesso domandata perchè la tristezza e la rabbia abitino così spesso l'anima di coloro che vogliono vivere secondo certi precetti o uniformarsi a certi ideali e perchè invece coloro che accettano la propria vita che è anzitutto nullità, oscurità e debolezza, sono spesso gai e spensierati. Del resto in questi casi, ciascuno obbedisce non a precetti, ma al proprio temperamento che in tal modo prende figura di vero e proprio destino.

---

[1] Praecipua eius opera sunt. *Gli indifferenti*, 1929 - *La bella vita*, 1935 - *Le ambizioni sbagliate*, 1935 - *L'imbroglio*, 1937 - *I sogni del pigro*, 1940 - *La mascherata*, 1941 - *Epidemia*, 1941 - *L'amante infelice*, 1943 - *Agostino*, 1944 - *La romana*, 1947 - *La disubbidienza*, 1947 - *L'amor caniugale*, 1949 - *Il conformista*, 1951. *I racconti*, 1952.

Il mio, come ho già detto, era di essere a tutti i costi lieta, dolce e tranquilla, ed io l'accettavo » (pag. 225).

Ut mittamus de Dei gratiae absentia loqui sine qua homo obsistere malo nequit nec ad suum perfectum honestum pervenire, in loco supra prolato, vere ad nihilismum moralem, ad nequitiaam ratione probatam, ad morum dissolutionem perventum est.

Scriptor autem eadem via iter coeptum ultra pergit, commenticia ac turpi fabula quae *Il Conformista* inscribitur, in qua peratente is speciem « conformandi ad tempus atque rem », quod nostra aetate adeo late colitur, intuetur, et id et suam de vita sub specie sexus sententiam inter se conciliat.

Ut praetermittamus scriptorem dubiam rationem adhibuisse, deligendi exemplar conformatoris (qui est quidam abnormis laborans psychica deformitate), summo cum dolore descriptionibus commovemur quas, argumento non postulante, de sexus factis auctor copiose, per multas paginas res minimas enarrans, scribit.

Ut ex his concludere fas est, auctor nihil aliud facit quam quaerere novos legentes ex numero eorum qui voluptates morbosas pro sexu cupide appetunt. Agitur ergo de hominum foedae sociatis exibitione, in qua exemplaria vivunt miserrimis erroribus, depravationibus et corruptis moribus obnoxia, obscene ac impudice expressa ad personarum, quae potissimum finguntur, naturam, sed non secundum dignitatem et conscientiam, quae scriptoris et legentis sunt.

Ceteroquin virtutis moralis absentia, praeceptum, ex quo psychica ac physiologica natura omnia constituta sunt, quod homines recentiores « determinismum » appellant, sexus libido, quae omnia hoc et cetera Moravia scripta pervertunt, aliquae philosophiae scriptoris, ut ita dicam, congruunt. Ipse ut nobis cognoscerentur fecit, scripto quodam relato in litterarum acta quae *Fiera letteraria* inscribuntur, datis Idibus Majis anno millesimo nongentesimo quadragesimo septimo (MCMXLVII), quo absolutam libertatem de sexu scribendi quidlibet opportunum videatur, repetivit, huiuscemodi verba habens: « Scrivo un romanzo e a un certo momento mi trovo obbligato a descrivere l'atto sessuale. Perchè obbligato? Per mille e una ragione. Perchè questa descrizione ci vuole per chiarire il mio pensiero, per completare un'azione che altrimenti risulterebbe difettosa, per aggiungere un tratto al carattere di un personaggio, ma, soprattutto, perchè questa descrizione è nella mia fantasia, pronta e pura, e l'opera d'arte, non conoscendo altre leggi che quella della poesia, io non vedo il motivo per cui dovrei rinunziarvi ».

Id est prompta et parata in neglegendo et in efficiendo irritam honestatem celeritas pro poëticae iure!

Quaedam *acceptio* auctori, etiam itemque eius personis, et quae-

dam est *inertia*, contra quam homo nullo modo potest repugnare pro stabili firmaque vitae praeposita ratione.

Auctor ipse enim in alio articulo in praefatam ephemeridem a. d. V Nonas Julias prolato, sibi curam suum habitum ulteriorem explicandi suscepit, his notis:

« La passività comporta l'accettazione e l'accettazione l'irresponsabilità e l'innocenza, almeno fino a un certo segno. Questo permette al gioco della bontà originaria di svilupparsi felicemente, come negli animali e in genere nella natura. Là dove invece c'è lo sforzo di un giudizio attivo e di un intervento volontario, al senso di responsabilità si accompagnano la coerenza, la rigidezza e sovente la crudeltà. E' la libertà che ci rende cattivi imponendoci una scelta. I personaggi passivi non possono fallire perchè non hanno un piano. Ma i personaggi falliscono. Anzi, per confermare la nobiltà del loro blasone, debbono fallire, altrimenti scadono a eroi da libri educativi. Soltanto i romanzi cattolici per la gioventù finiscono bene. Tutti gli altri, non possono non finir male ».

Atque necesse non est commentaria ad scriptorem conficere ut eius regulas ad aestimandum et habitum constituendum explicemus: dico artificis libertatem a lege morali (atque etiam a conscientia), et aliunde abdicationem recusationemque omnis moralis virtutis in superiore rectae rationis necessitudine (eo minus in fide) constitutae, cuius in locum inertia adversus impulsus, facta, leges fatales subduntur. Hac philosophandi ratione percipi potest quomodo A. Moravia eo audaciae processerit ut e libris suis minimum duo inveniantur, qui - intelligente auctore vel non - sint opus quo nihil iuvenibus perniciosius sit, cum certa via atque ratio inveniatur quae ad primum conscientiae praescriptum de periculosis rebus, et dificillimis illis qui adulescentiam agunt, corrumpendum valeant. Hi libri « Agostino » et « La disubbidienza » inscribuntur.

Quorum alter est de vitae mysteriis adulescentulorum initiatione, non prudentia aliqua sed inverecundia; alter vero initiationem, perinde ac si libertatis et gaudii et boni inventio sit, producit.

Cuncta immundo sermone a scriptore describuntur, talibus singulis rerum adiunctis ut fere cum animo de corruptrice voluntate scriptoris cogitemus.

Adolescens nobis adfictus eversusque videtur, postquam nonnullas paginas eiusmodi, praesertim libri, « La disubbidienza », postremas legit. Mirum sane quod A. Moravia eversori et obtrectatori humanitatis atque virtutis et qui ad eam persequendam omnem conatum tamquam certus morum pravitatis praeceptor adhibet hodie depravandi facultas maxima detur, cum detrimento quoad mores et domesticos et publicos. Homo cum suis amicis, quod suam auctoritatem interposuit quominus animi eius internecivo veneno

interficiantur, Ecclesiae intercedit pro facultate quae hominibus est « di discriminare da sè il bene e il male », in vita et in fabula!

Fieri non potest quin hos libros legentes, maxime iuvenes, in peccatum mentis, cupiditatis et operum inducantur. Si quis Moravia consilia sequatur necessarie sibi videatur virtute morali exauriri, adduci ne distinctionem boni a malo agnoscat, incendi desiderio effundendi deterrimas propensiones, cum honestum collabatur. Quod detrimento publicae morali virtuti fit, qua sine nullus populus non floret, sed contra inclinat, non modo pro sexto legum divinarum praecepto, sed etiam ceteris.

Num scriptor expeditus esse potest nec commoveri, cum alicuius animam se offendisse cogitet? Num homo potest leve habere Jesu verbum terribile - unum ex paucis verbis quae ab Eo, qui « Mansuetus » et « humilis cordes est », tam terribilia dicta sint - contra eos qui animas, praesertim fratrum humillimorum, perdiderint?

Quamvis scriptor sicut Moravia pro nihilo hoc Christi monitum in monitu Ecclesiae resonans parvipendat nec suae conscientiae vocem auditat, nec grave onus susceptum erga Deum et animas sentiat, Ecclesia officio suo Christifidelium animas edocendi ac servandi deesse non potest. Itaque in librorum prohibitorum Indicem opera huius scriptoris retulit, omnium in mentem revocans illud Apostoli: « argue, obsecra, increpa, insta opportune et importune ».

P. Raymundus Spiazzi O. P.

N. B. - *In proximo fasciculo edentur Adnotationes ad Monitum generale, quod hac oblata occasione E.mi ac Rev.mi Patres dederunt circa libros, libellos, ephemerides quae res lascivas seu obscenas ex professo narrant, describunt aut docent.*

IV

DECRETUM

Feria IV, die 2 Aprilis 1952

In generali consessu Supremae S. Congregationis S. Offici E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda mandarunt *Opera Omnia* Andreae Gide.

Et sequenti Feria V, die 3 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII, in solita Audientia Exc.mo

ac Rev.mo Dño Adsessori S. Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 24 Maii 1952.

L. + S.

Marinus Marani, *Supr. S. Congr. Officii Notarius*

N. B. - *Adnotationes ad Decretum supra relatum in proximo fasciculo edentur.*

MONITUM

Gravi cum sollicitudine Apostolica Sedes animadvertit non paucos scriptores his ultimis temporibus, de vita coniugali agentes, passim palam et minute ad singula eam spectantia inverecunde descendere: praeterea nonnullos actum quemdam, *amplexum reservatum* nuncupatum, describere, laudare et suadere.

Ne in re tanti momenti, quae matrimonii sanctitatem et animarum salutem respicit, munere suo deficiat, Suprema Sacra Congregatio S. Officii, de expresso mandato SS.mi D. N. D. Pii, divina Providentia Pp. XII, omnes praedictos scriptores graviter monet, ut ab huiusmodi agendi ratione desistant. Sacros quoque Pastores enixe hortatur ut in his rebus sedulo advigilent et quae opportuna sint remedia sollicite apponant.

Sacerdotes autem, in cura animarum et in conscientiis dirigendis, numquam, sive sponte sive interrogati, ita loqui praesumant quasi ex parte legis christianae contra « amplexum reservatum » nihil esset obiicendum.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 30 Iunii 1952.

Marianus Marani, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 546).

N. B. - *Adnotationes ad Monitum supra relatum in proximo fasciculo edentur.*

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

DECRETUM

ORDINARIATUS IN BRASILIA CONSTITUITUR PRO FIDELIBUS RITUUM ORIENTALIUM

Cum fidelium rituum orientalium numerus in Brasilia residentium in dies augeatur, cumque spirituali bono uberius tutiusque fovendo unitas sacri regiminis etiam atque etiam peropportuna videatur, rebus mature perpensis et peritorum in re consiliis conlatis, Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali iisdem fidelibus unicum Ordinarium omnibus facultatibus praeditum, quibus hucusque singuli latini Ordinarii fruebantur, praeficiendum censuit.

Qua de causa, in Audientia diei 26 m. Octobris anni volventis, referente infrascripto Sacrae huius Congregationis Cardinali a Secretis, Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina Providentia, Papa XII, pro omnibus fidelibus rituum orientalium in Brasilia degentibus, unicum Ordinariatum benigne erigere atque constituere dignatus est, unico Ordinario moderandum.

Ad hoc Ordinarii munus Eadem Sanctitas Sua E.mum ac Rev.mum P. D. Iacobum Card. de Barros Camara, Archiepiscopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, elegit, ipsi facultate facta unum vel plures Vicarios Generales habendi.

Ordinarius pro fidelibus rituum orientalium in Brasilia degentibus sedulo curabit paroecias constituere, ecclesias aedificare, iuvenes in sortem Domini vocatos in Seminaria colligere et educare, genuinos ritus ac disciplinam integre servare, sacerdotes sive indigenas sive aliunde invectos fidelibus procurare, opera quaecumque sive ecclesiastica, sive socialia, sive scholastica fovere et coetera omnia quae in Domino prudenter iudicaverit.

Quodsi in aliquibus locis defuerit sacerdos pro fidelibus rituum orientalium deputatus, parochus loci bono spirituali istorum fidelium ipse provideat, facultatibus tamen ab Ordinario pro filelibus rituum orientalium in Brasilia degentibus obtentis.

Ordinarius, de quo supra, quotannis relationem de suo ministerio ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali mittendam curabit.

Praesens Decretum vigorem habeat a die ab Ex.mo Nuntio Apostolico in Brasilia statuenda.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 14 Novembris 1951, in festo Sancti Iosaphat Martyris.

+ E. Card. Tisserant, *a Secretis*

L. + S.

† V. Valeri, Archiep. tit. Ephesin., *Adsessor*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 382-383).

ADNOTATIONES

Decretum in se tam perspicuum est, ut haud indigeat explicatione, sed potius matura ac prompta applicatione. Decretum fundamentum iustum habet in facto, quod numerus Orientalium in Brasilia residentium in dies augetur; unde meliori, quo fieri potest modo, ipsis providendum. Nam teste experientia catholici avulsi a solo patrio magnis exponuntur periculis. Pius X in Motu proprio *Cum omnes* diei 15 Aug. 1912 respicit illos catholicos, « qui ut victum labore quaerant aut meliorem sibi fortunam comparent, relicto natali solo in longinqua migrant, ubi saepius iis timendum est ne, dum mortalis vitae rationibus prospiciunt, lamentabilem sempiternam iacturam faciunt » [1].

Ideo Pius X. valde commotus est « maximis periculis, in quibus religio moresque versantur tot hominum, qui, ut plurimum ignari regionis et linguae, atque ope sacerdotum suorum destituti, spiritualis vitae adiumenta nec ipsi sibi parare possunt, nec quantum satis est, exspectare ab Ordinariis locorum aut a consociationibus iis, quae in id sunt institutae ». Unde sapientissimi consilii fuit loco singulorum Ordinariorum in Brasilia unum solum Ordinarium praeficiendi catholicis orientalibus in Brasilia residentibus,

---

[1] *A. A. S.* vol. IV. (1912) p. 526. De cura S. Sedis circa emigrantes confer epistolas Secretariae Status die 18. maii 1899; 10. jun. 1900; 25. jan. 1908; 8. sept. 1911 (*Canoniste contemporain*, tom. 34, 1911, p. 678-683); Pius X. Motu proprio *Iam pridem* 19. mart. 1914 (*A. A. S.* vol. VI. 1914, p. 173). *S. C. Cons.* 22. febr. 1915, (l. c. vol. VII. 145); 24. nov. 1916 (l. c. vol. VIII. p. 437); (l. c. vol. VII. 145; Decretum *Ethnografica studia* citatum, die 25. mart. 1914 invenitur in *A. A. S.* vol. VI. p. 182-186); 24. nov. 1916 (l. c. vol. VIII. p. 437); ep. Bened. xv. ad ep. Frenton. 10. dec. 1920 (l. c. vol. XIII. p. 89.); 26. maii 1921 (l. c. vol. XIII. p. 309). Const. Ap. *Exul Familia* diei 29 Iunii 1952.

qui gaudeat facultatibus, quibus illi singuli hucusque gavisi sunt. Electio Rom. Pontificis cecidit in Primatem Brasiliae, E.mum Archiep. S. Sebastiani Fluminis Januarii (*Rio de Janeiro*). In auxilium poterit vocare unum vel plures Vicarios Generales.

Uti media ad finem obtinendum Decretum nominat primo erectionem parochiarum. Nam sine ullo dubio cura animarum maiori cum fructu exercebitur, si populus determinatus in determinato territorio suum peculiarem rectorem tamquam proprium pastorem assignatum habet et in quantum fieri potest, etiam propriam Ecclesiam parochialem. Altera cura Ordinarii erit educandi clerum ritus Orientalis in Seminariis. Quanti momenti sint Seminaria, Pius X in ep. Apost. diei 1. aug. 1912, *Officiorum omnium*, expressit hisce verbis [2]: « Officiorum omnium sanctissimorum, quaecumque Apostolici muneris amplitudo complectitur, nullum sane nec maius est nec patet latius, quam curare et efficere ut Ecclesiae ad divina sua munia obeunda bonorum ministrorum satis magna copia suppetat. Id enim est eiusmodi, quod Ecclesiae et dignitatem et efficientiam et vitam ipsam coniunctam habet; quodque ad salutem humani generis tam interest quam quod maxime: siquidem quae mundo parta sunt a Iesu Christo Redemptore immensa beneficia, ea non cum hominibus nisi per « ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » communicantur ». Porro insistit Decretum, ut genuini ritus et disciplina servetur iuxta litteras apost. Leonis XIII *Orientalium* diei 30 nov. 1894 [3]. Tandem Ordinarii est procurare sacerdotes pro populo idoneos et fovere opera quaecumque in bonum Ecclesiae vergentia. Prout iam Leo XIII l. c. n. IX. statuerat, defectum sacerdotis ritus orientalis supplet parochus latinus, sed talis latinus indiget necessariis facultatibus *ab Ordinario* recipiendis. Ut S. C. remaneat informata de vicissitudinibus Orientalium in Brasilia, Ordinarius *quotannis* relationem mittat oportet ad S. C.

Quod illuminatae sapientiae Decretum sine ullo dubio summam afferet Ecclesiae utilitatem.

D. G. Oesterle, O. S. B.

---

[2] *A. A. S.* vol. XIV. p. 449.

[3] *Fontes C. I. C.* vol. III. n. 627, p. 454. - R. Pontifex commendat fundationem Seminariorum, institutorum omne genus, collegiorum, eaque prorsus ad iuvenes incolas ritu patrio formandos in suorum auxilia.

SACRA CONG. DE PROPAGANDA FIDE

INSTRUCTIO

DE APTO MODO PRO MISSIONIBUS STIPEM CORROGANDI

Plurimis adbhinc annis, christiana plebs vehementiore in dies studio catholicae fidei inter infideles propagandae favet, non modo evangelii praecones sed etiam opes suppeditando.

Iuxta normas a Romanis Pontificibus praescriptas, quae in missionum provectum offeruntur, ea omnia tum per Pontificalia Opera a Propagatione Fidei, a S. Petro Apostolo pro indigena clero et a S. Infantia, tum per Collectam, Epiphaniae tempore pro Africae nigritis habendam, coadunantur.

Normae illae, ut Pii Papae XI, fel. rec., verbis utamur, quae in Motu Proprio « Romanorum Pontificum » scripta invenimus, « Catholicarum Missionum universitati, certa via et ratione, ex catholicae orbis collatione » consulunt « ita quidem ut et corrogatae apud omnes nationes ab omnibus, quotquot sunt, Ecclesiae filiis vel minutae stipes in unum acervum, universe Missionibus tuendis destinatum, colligantur, et haec pecunia omnis, potestati quidem arbitrioque commissa Nostro dumtaxat et Sacrae Congregationis Christiano Nomini Propagando, per delectos a Nobismetipsis viros, in omnes distribuatur Missiones, pro uniuscuiusque necessitate ».

Ad omnium christifidelium virium conspirationem in missionum emolumentum sollerter in patria evolvendam iuxta sacrorum praescripta canonum (cfr. can. 622, § 1-2; 691, § 3-5; 1341, § 1; 1503) et documenta Motu Proprio edita « Romanorum Pontificum » die 3 maii 1922; « Vix ad summi » die 24 iunii 1929; « Decessor Noster » die 24 iunii 1929 atque alia passim, Sacra haec Congregatio de Propaganda Fide quasdam normas revocandas censuit in mentem omnium Directorum sive nationalium sive dioecesanorum, qui Pontificalibus praesunt Missionalibus Operibus, et tum Ordinum tum Congregationum religiosarum, necnon Societatum sine votis, quae brevitatis causa praesenti Instructione Institutorum Missionalium nomine veniunt; eaque statuit, ut eaedem normae ab omnibus supra memoratis adamussim observentur.

1. Institutis Missionalibus licet contionibus atque ephemeridibus necessitates suarum scholarum pro missionariis instituendis et

missionum sibi commissarum fidelibus notas reddere ipsorumque fidelium liberalitatem adhortari. Ne tamen obliviscantur auditores et lectores suos monere de peculiari fine, quem Pontificalia Opera sibi praestituant, iisdem suadendo, ut praelaudatis Operibus nomina sua dent, praecipue Die Missionali recurrente.

2. Instituta Missionalia in omni cooperationis missionalis genere in patria promovendo Ordinarii loci permissionem per Directionem Dioecesanam pro missionibus obtineant atque ea nomina et species vitent, quae errores circa finem Institutis Missionalibus et Pontificalibus Operibus assignatum in mente fidelium gignere vel profectui eorumdem Pontificalium Operum graviter obstare queant.

3. Instituta Missionalia operam praestent, ut in Diem Missionalem apparandum et celebrandum libenter conspirent. Stipem autem omnem memorato die corrogatam, etiam in paroeciis et ecclesiis, curis religiosorum concreditis, ad competentem Directionem Dioecesanam remittant; atque ne felici eiusdem diei celebrationi quoquo modo officiant, ab omni quaestu omnique favoris pro suis missionibus captandi specie abstineant, saltem iam congruo tempore ante annua Diei Missionalis solemnia.

4. Directores Nationales invigilent, ne quis, fine, quem Opera Pontificalia Missionalia sibi proponunt, abutens, pro missionibus generatim stipes colligat ad necessitates levandas, quae in territoriis, ad hac Sacra Congregatione de Propaganda Fide non dependentibus, inveniantur.

5. Directiones Nationales et Dioecesanae ita opera missionibus provehendis destinata atque inter christifideles diffundenda in ordinem redigant, ut omnes superfluos sumptus omniaque incepta, quae directe ad conatus pro missionibus consociandos non conferant, vitent.

6. Dies Missionalis iuxta normas a legitimis documentis statutas atque iuxta praescripta, quae singulae Directiones Nationales, in peculiaribus rerum adiunctis, aptiora censuerint, celebretur.

7. In scholis et in ephebeis et in cunctis id genus institutionibus, quae a religiosis et a sororibus reguntur, Moderatores et Moderatrices officii ducant alumnorum inter socios Pontificalium Operum Missionalium inscriptiones fovere atque singulari studio Diem Missionalem celebrare, pecunia, quae tum ex inscriptionibus tum ex oblationibus collecta fuerit, ad competentem Directionem Dioecesanam integre remissa.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propagan-

da Fide, die 29 mensis iunii, in festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, anno Domini 1952.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus*

L. + S.

† C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 549-551).

ADNOTATIONES

Praemittenda.

Praesertim post vulgatam epistolam apostolicam *Maximum illud* (1919) S. C. de Propaganda Fide omnibus viribus incumbit christifidelium virium conspirationi ordinandae in missionum emolumentum, cum nostris diebus opera apostolatus inter acatholicos plene dependeant a christianorum liberalitate. Subsidia a guberniis oblata sunt incerta et prorsus non sufficientia, dum e contra, secundum ea quae in citata epistola Benedicti XV scripta videmus: « opes et eae non ita tenues requiruntur ad missiones tuendas, maxime cum earum necessitates ex bello in immensum creverint, tot scholis et nosocomiis et domibus hospitalibus et gratuitis rerum diributoriis aliisque sublatis extinctis [1] ». Et insuper idem Summus Pontifex addidit: « Quare illa praesertim quae in sacrarum missionum commodum sunt instituta, adiuvari catholicorum liberalitate cupimus. Primum est Opus quod appellatur a Propagatione Fidei pluries iam a Decessoribus Nostris dilaudatum; ex quo ut vel maior fructuum optimorum ubertas exsistat in posterum, volumus sacrum Consilium christiano nomini propagando diligentissime curet » [2]. Deinde commemorat Opus a S. Infantia, a S. Petro Apostolo et Collectam Epiphaniae pro nigritis Africae.

Ut aptiora Apostolicae Sedis instrumenta ad fidelium stipes undique cogendas easque erogandas in usum omnium missionum catholicarum Opera a Propagatione Fidei, a S. Petro Apostolo et a S. Infanctia redderentur, Pontificia declarata sunt et Pius XI duorum priorum operum sedem principalem in Urbe apud ipsam S. C. de Propaganda statuit atque insuper decernit ut omnia ab eadem Sacra Congregatione dependerent [3].

Utpote Sedis Apostolicae instrumenta, Pontificalia Opera Missionalia potioribus iuribus gaudent relate ad cetera opera et incepta pro missionibus adiuvandis. Quod clare affirmat Pius XI in litteris

[1] *Sylloge P. F.*, p. 126.

[2] *Ibid.*, p. 126.

[3] Quod clare affirmant Statuta P. O. a Propagatione Fidei (*Sylloge P. F.*, p. 667) et quae habentur in Motu Proprio. *Vix ad summi* (l. c., p. 686).

encyclicis *Rerum Ecclesiae*: « Operi autem a Fidei Propagatione principi duo alia adiuncta sunt, ut diximus, quae, cum Apostolica Sedes fecerit sua, christifideles prae ceteris operibus, quae peculiare aliquid sibi propositum habent, conrogata collatave stipe adiuvent ac sospitent, alterum scilicet a S. Infantia, alterum a Petro Apostolo nuncupatum » [4].

Quae cum ita sint, Sacra Congregatio de Propaganda Fide omnibus viribus potiora iura Pontificalium Operum semper defendit, praesertim per epistolas privatas. Priores normas de mutua consuetudine inter Pontificium Opus a Propagatione Fidei et Instituta religiosa missionalia, anno 1928 [5] tulit Consilium superius P. O. a Propagatione Fidei, quod « inter alia in commodum missionum instituta primum locum obtinet » [6]. Alia praescripta idem Consilium vulgavit die 27 aprilis 1938 [7].

Ipsa S. C. de Prop. Fide numquam edidit circa rem instructionem aliquam generalem, usque ad annum 1951, quo transmisit ad Directorem Nationalem PP. OO Missionalium in Italiam epistolam, in qua antiqua praescripta in memoriam revocavit [8]. Quam epistolam ad notitiam communicavit cum ceteris Directoribus Nationalibus PP. OO. Missionalium. Mense aprili in aedibus eiusdem S. C. de Propaganda Fide Consilium Superius P. O. a Propagatione Fidei totam rem iterum ad trutinam revocavit et votum fecit ut ipsa S. C. de Propaganda Fide instructionem generalem ederet ad omnes obusus in colligendis prc missionibus pecuniis vitandos. Quas preces benigne excipiens, eadem Sacra Congregatio die 29 iunii 1952 Instructionem de apto modo pro missionibus stipem corrogandi vulgavit.

Explicatio textus.

Principia generalia de quaestuatione ac de stipe colligenda pro missionibus iam exsposuimus in explananda epistola ad Directorem Nationalem Italiae.

Instructio duabus partibus constat. Prima pars habenda est ad instar introductionis et secunda pars continet praescripta observanda. Prima pars nullo indiget commentario. Notatu digna sunt verba excerpta a Motu Proprio *Romanorum* Pontificum, quae clare edicunt P. O. a Propagatione Fidei ordinatum esse solum ad sublevandas necessitates missionum Sacrae Congr. de Propaganda Fide [9].

---

[4] *Ibid.*, pp. 247-248.

[5] *A. A. S.*, 20 (1928) pp. 266-267 et in *Monitor Eccles.*, 76 (1951) pp. 257-258.

[6] *Sylloge P. F.* p. 678.

[7] S. Paventi, *La Chiesa Missionaria. Manuale di cooperazione missionaria e Missionografia*, Roma 1950, pp. 24-27.

[8] Cfr. *Monit. Eccles.*, 76 (1951) pp. 252-254 cum adnotationibus X. Paventi, pp. 255-258. — [9] *Sylloge P. F.*, p. 674.

Idem eruitur ex Motu Proprio *Vix ad sumum* et *Decessor Noster* pro P. O. a S. Petro Apostolo. Et insuper idem dicendum est de P. O. a S. Infantia.

Instructio nihil dicit de Unione Missionali Cleri, cum haec Unio sibi finem proponat solum excitandi in cordibus sacerdotum zelum missionalem.

Secunda pars Instructionis septem numeris constat. Numeri 1, 2, 3 continent praescripta circa modum quo uti possunt Instituta missionalia pro adiuvandis suis missionibus; numeri 4 et 5 respiciunt Directiones Nationales et Diocesanas; numerus 6 loquitur de Die Missionali Mundiali et numerus 7 de scholis. Claritatis causa, opportunum mihi videtur explicare prius praescripta circa Directiones Nationales et Dioecesanas scilicet illustrare hoc ordine numeros scilicet 4, 5, 1, 2, 3, 6, 7.

a) *Normae circa Directiones Nationales et Dioecesanas.*

N. 4. Directores Nationales invigilent, ne quis, fine quem Opera Pontificalia Missionalia sibi proponunt, abutens, pro missionibus generatim stipes colligat ad necessitates levandas, quae in territoriis, ab hac Sacra Congregatione de Propaganda Fide non dependentibus, inveniantur.

Praescriptum id genus non invenitur in epistola transmissa ad Directorem Nationalem PP. OO. MM. in Italia et statuit documenta pontificia concessisse licentiam colligendi pecuniam pro missionibus generatim solum pro adiuvandis territoriis dependentibus a S. C. de Propaganda Fide. Qua de causa, iuridice saltem, solum territoria supradicta haberi possunt, imo debent ut territoria exclusive missionalia. Cetera territoria quae obnoxia sint iurisdictioni S. C. Consistorialis, S. C. Orientalis et S. C. pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis non sunt habenda ut missionalia ad normam codicis et documentorum pontificalium [10]. Ego nemo potest colligere pecunias pro adiuvandis territoriis iuris communis.

Nostris diebus plures e clero sive religioso sive saeculari nomine missionum abutuntur ut facilius corrogare queant pecunias ad opera apostolatus sustinenda extra septa missionalia. Quae agendi ratio omnino est reprobanda, praesertim si prae oculis habeantur verba Benedicti XV in epistola *Maximum illud*: « Vulgo enim fideles ad opitulandus hominibus apostolicis inclinant et propendent; vosque (id est, Episcopos atque etiam sacerdotes) hac animorum propensione *sapienter* utamini ut quam maximo missionibus sit emolumento » [11]. Sapienter, ergo, debemus stipem colli-

[10] S. Paventi, *La Chiesa Missionaria. Manuale di Missionologia dottrinale*, Roma 1949, pp. 19-20.

[11] *Sylloge P. F.*, p. 127.

gere pro missionibus, quae sint vere missiones. Qui verbo missionis tribuunt ampliorem sensum secundum ideas quorundam missionologorum, a iure positivo, in codice et in citatis documentis pontificiis contento, discedunt et in dubitationis tenebras incidunt. Secundum Ciceronem: « Omnia sunt incerta, cum a iure discesseris » [12].

Praescriptum nostrae Instructionis nullo modo prohibet quominus exquirantur pecuniae pro adiuvandis incaeptis cuiuscumque apostolatus, sed clare, praesertim sacerdotes et religiosi, debent illustrare fidelibus finem praestitutum. Idem Cicero dicit: « In omni re vincit imitationem veritas » [13].

Numero 5. Directiones Nationales et Dioecesanae adhortantur ut opera missionibus provehendis destinata atque inter christifideles diffundenda in ordinem recta ratione redigant et insuper superfluos sumptus omniaque incepta, quae directe ad conatus pro missionibus consociandos non conferant, vitent. Ergo tota pecunia collecta transmitti debet Romam, demptis ex pensis necessariis. Nullus Episcopus, Director Nationalis vel Dioecesanus gaudet licentia adhibendi pecuniam collectam pro solvendo, ex. gr., stipendio alicui officiali Curiae, vel pro sustentandis operibus apostolatus in dioecesi.

Numerus 6 agit de modo celebrandi Diem Missionalem mense octobri. Imprimis observandae sunt normae a legitimis documentis statutae, quas Directiones Nationales complere possunt per praescripta particularia.

b) *Normae circa Instituta Missionalia.*

In praesenti Instructione nomine Institutorum Missionalium veniunt, brevitatis causa, Ordines, Congregationes religiosae et Societates sine votis, quorum sodales in missionibus adlaborant.

Praescripta sunt ordinata ad defendenda potiora iura, quibus gaudent PP. OO. Missionalia relate ad cetera opera particularia; sed nullo modo negligunt iura Institutorum missionalium. Hac in re quam maxime decet omnia ita componere ut nulla virium inutilis contentio habeatur.

Instituta missionalia contionibus atque ephemeridibus libere possunt notas reddere fidelibus necessitates suarum scholarum pro missionariis instituendis atque ipsorum fidelium liberalitatem adhortari. Auditores, tamen, et lectores suos moneant de peculiari fine, quem PP. OO. sibi praestituant; iisdemque suadeant, ut praelaudatis Operibus nomina sua dent, praecipue Die Missionali. Omnino sunt reprobandi qui sive contionibus sive ephemeridibus fere num-

---

[12] *Epist. ad famil.*, 9, 16.
[13] *De orat.*, 3, 57, 215.

quam loquuntur de PP. OO. Missionalibus vel de ceteris missionibus.

Quo principio statuto, facile intelligitur praescriptum numeri 2, quod plene congruit cum can. 1341 § 1. In omni cooperationis missionalis genere in patria promovendo Instituta missionalia Ordinarii loci permissionem per Directionem dioecesanam pro missionibus obtinere tenentur atque, ne confusio oriatur, et nomina et species vitare debent, quae errores circa finem Institutis Missionalibus et Pontificalibus Operibus assignatum in mente fidelium gignere vel profectui eorumdem Pontificalium Operum graviter obstare queant.

Numerus 3 adhortatur Instituta missionalia ut operam praestent in Die missionali apparando et celebrando, cum obligatione remittendi omnem stipen, memorata die corrogatam, etiam in paroeciis et ecclesiis, curis religiosorum concreditis, ad competentem Directionem dioecesanam. Insuper ne felici eiusdem diei celebrationi quoquo modo officiant, Instituta Missionalia ab omni quaestu omnique favoris pro suis missionibus captandi specie abstineant, saltem iam congruo tempore ante annua Diei Missionalis solemnia. Congrui temporis spatium determinandum est a Directione Nationali secundum locorum adiuncta et generatim sufficit spatium unius mensis.

c) *Normae pro scholis et ephebeis.*

Breviter et clare postremus numerus 7 loquitur de obligatione religiosorum et sororum, quorum curis concredita sunt collegia et scholae. Praesertim in iuvenum et puellarum cordibus necesse est amorem erga missiones excitare sive ad pecuniam corrogandam sive ad vocationes missionarias obtinendas. Heic tantum sermo fit de sororibus et fratribus, sed cetera omnia praescripta Instructionis, servatis servandis, applicari eisdem possunt.

Moderatores et Moderatrices officii ducant alumnorum inter socios PP. OO. Missionalium, inscriptiones fovere atque singulari studio Diem Missionalem celebrare, pecunia, quae tum ex inscriptionibus tum ex oblationibus collecta fuerit, ad competentem Directionem Dioecesanam integre remissa, scilicet sine ulla diminutione in favorem propriarum missionum vel aliorum inceptorum.

En praescripta data a S. C. de Propaganda Fide, quae mandavit ut ab omnibus Institutis missionalibus adamussim observerentur. Directores Nationales, vero, et dioecesani in defendendis PP. OO. Missionalium protioribus iuribus ita se gerant ut etiam Instituta missionalia colligere possint pecuniam praesertim pro Christi praeconibus efformandis.

X. Paventi

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS.

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. - DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS

D. Utrum verba can 1053 « *facta permissio transitus ad alias nuptias* » intelligi debeant dumtaxat de permissione facta a Sede Apostolica, an etiam de permissione facta ab Ordinario loci.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

II. - DE INTERPRETATIONE CAN. 598 § 2

D. I. An uxores Praesidum singulorum Statuum Foederatorum cum comitatu admitti possint intra regularium virorum clausuram ad normam can. 598 § 2.

R. Affirmative.

D. II. Utrum interpretatio data in responsione ad I sit declarativa an extensiva.

R. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

III. - DE AETATE CONFIRMANDORUM

D. An, attento can. 788, sustineatur mandatum Ordinarii loci vetantis quominus sacramentum Confirmationis administretur pueris qui aetatem decem annorum adepti non sint.

R. Negative.

IV. - DE LOCO ADSISTENDI MISSAE, LEGIS DE AUDIENDO SACRO IMPLENDAE CAUSA

D. An, non obstante praescripto can. 1249, legi de audiendo Sacro satisfaciat qui Missae adstiterit in loco de quo in can. 822 § 4.

R. Affirmative.

V. - DE INTERPRETATIONE CAN. 209

D. An praescriptum can. 209 applicandum sit in casu sacerdotis, qui, delegatione carens, matrimonio assistit.

R. Affirmative.

VI. - DE APPLICATIONE PRAESCRIPTORUM CAN. 197, 199, 206-209, POTESTATI DOMINATIVAE

D. An praescripta canonum 197, 199, 206-209, de potestate iurisdictionis, applicanda sint, nisi natura rei aut textus contextusve legis obstet, potestati dominativae quam habent Superiores et Capitula in Religionibus et in Societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis publicis.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 26 m. Martio a. 1952.

M. Card. MASSIMI, *Praeses*

L. + S.

A. Coussa, B. A., *a Secretis*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 496 s.).

ADNOTATIONES

I. DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS.

Ratio dubii haec est: Dispensatio super matrimonio rato et non consummato solum a Sancta Sede in actuali disciplina concedi potest (c. c. 1119, 1962). Permissio, autem transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, communiter eget Ordinarii decreto, qui, adhibita iudiciali vel saltem summaria et extraiudiciali inquisitione, an assertus obitus maxime probabilis seu moraliter certus appareat, decernere debet. In casu autem affirmativi responsi, alteri parti transitum ad alias nuptias ille permittere potest. (cfr. Instr. S. Off., 13 maii 1868, n. 6°; Resp. S. Off., 27 aprilis 1887, in AAS, II, pp. 196-203. Cfr. quoque S. C. de Sacr., 18 decembris 1914, 25 iunii 1915, in AAS, VII, pp. 40, 476; 25 februarii 1916, in AAS, VIII, p. 151; 19 ianuarii 1917, in AAS, IX, p. 120; 18 novembris 1920, in AAS, XIV, p. 96). In hac ultima causa legitur sequens Rescriptum S. C. de Sacr.: « Ordinarius canonicas

inquisitiones (circa praesumptam coniugis mortem) complere velit ad normam Instructionis S. S. C. S. Off. a. 1868 « Matrimonii vinculo ». Si, peractis enunciatis inquisitionibus, iudicium sibi efformare non valeat, quo transitus ad alias nuptias permittere queat, tunc omnia acta ad hanc S. Congregationem mittat ». Unde deducitur: transitum ad alias nuptias permittere posse et ipsum Ordinarium, et Sanctam Sedem. Age iam: si permissio novarum nuptiarum a S. Sede procedit, nullum dubium esse potest, ex tenore can. 1053, quod secumferat dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii. Id ab Ecclesia benigne concessum est ob animarum bonum. At non omnibus videbatur talem concessionem habere permissionem ab Ordinario in adiunctis praedictis factam. Et ratio videbatur denegandi, quod agatur in canone de « data *a Sancta Sede* dispensatione super rato et non consummato, et de facta permissione transitus », scilicet ab eadem S. Sede. Cum enim agatur de expressa iuris concessione gratiae, quae unice Sanctae Sedi competit (can. 1040), mentio expressa Ordinarii potestatis in canone necessaria in casu reputabatur.

At Commissio Codicis hanc interpretationem amplexa non est pluribus de causis: nam canon 1053 adhibet verbum « semper », id est: in qualibet, proinde etiam ab Ordinario facta, permissione transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, includitur dispensatio praedicta, si opus fuerit. Praeterea Codex mentionem expressam Sanctae Sedis in dispensatione super matrimonio rato et non consummato facit, quia talis dispensatio ab una Sancta Sede conceditur, at omissio mentionis Sanctae Sedis in altera causa dispensationis satis innuit permissionem etiam ab Ordinario factam eundem effectum habere. Cum ergo ex iure Ordinarius competens sit ad permissionem concedendam, pronum est ut eidem permissioni idem effectus concedatur, eo vel magis quod Sancta Sedes agere non soleat, nisi, inchoatis inquisitionibus iure proprio ab Ordinario loci, opus sit maiorem lucem haberi.

In motu proprio, *De disciplina sacramenti matrimonii pro Ecclesia Orientali*, art. 43 ita conceptus est: « Data a Sede Apostolica dispensatio a matrimonio rato et non consummato vel facta, *etiam ab iis qui potestatem habent infra Sedem Apostolicam*, licentia transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento de quo in can. 65, n. 1, si qua opus sit ». Canon hic prae oculis habet omnes illos, qui Hierarchae nomine in iure orientali veniunt, (cfr. can. 306, Motu Proprio, *De verborum significatione pro Ecclesiis orientalibus AAS.* t. 44 (1952) p. 145).

II. De Interpretatione Can. 598 § 2.

Canon 598 ait: « Eximuntur ab hac lege (de non admittendis mulieribus intra regularium virorum clausuram) uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu ». Hodierna responsio Commissionis Interpretum C. I. C. duo continet: a) uxores Praesidum *singulorum* Statuum Foederatorum cum comitatu, admitti posse intra regularium virorum clausuram. b) hanc esse interpretationem extensivam can. 598 § 2.

Primum, quinam sint Status foederati videamus. Status, tamquam personae iuridicae internationales, distinguuntur: a) Status unitarii, b) Status foederati, c) Status subordinati. *Status simplex seu unitarius* varias formas induere potest: 1) Status in quo supremus principatus regit modo uniformi omnes partes territorii et populationis, 2) Status cum supremo principatu unico, sed cuius partes non modo uniformi reguntur, ideoque istae quamdam individuationem propriam retinent, vr. gr. Status cum suis coloniis.

Uniones statuum seu *Status compositi* diversimode fieri possunt: 1) ope unionis sive personalis vr. gr. antiquitus unio mere personalis inter Angliam et Hannover, sive realis ob internationale pactum quo unus est Princeps supremus duorum Statuum et una administratio quoad plerasque maioris momenti utilitates communes. Uniones sive personales sive reales Statuum hodie amplius non existunt.

2) ope foederationis. Fit in duplici figura: Confoederationis Statuum, et Status foederalis. In *Confoederatione* singuli Status personalitatem iuridicam plenam et completam servant etiam in ordine internationali; per foedus autem inter se initum quaedam negotia omnibus utilia gerunt in communi ope organi apposite constituti, vr. gr. antiqua Dieta germanica. In *Statu foederali*, singulorum Statuum principatus non est absolutus, cum pleraque, antecedenter determinata in Constitutione Status foederalis, unice regantur ab organis propriis ipsius Foederationis. Singulariter Status-membra non habent personalitatem iuridicam internationalem. Hodie hi Status Foederales habentur: in America Septemtrionali (U.S.A.), in Helvetia, in Mexico, Venezuela, Argentina et Brasilia. Cum forma hac affines sunt determinatae peculiaritates Constitutiónis in quibusdam Statibus, ubi Regiones constitutae sunt cum quadam autonomia etiam legislativa, non tamen turbant unitatem Status. Regiones, sive alio nomine dicantur, non assumuntur in cathegoriam Status. Exemplum habetur in Italia hodierna.

Formam omnino specialem induit Imperium Britannicum seu Societas nationum Britanniae.

3) *Status subordinati* sunt Status Vassalli et Status Protecti. In his supremus principatus capite est deminutus, et vera suprematia ab Statu Protectore in territorio vassalli protectique exercetur.

Age iam: in Responso Commissionis sermo est de uxoribus Praesidum *singulorum* Statuum Foederatorum. Id est, prospicitur forma antea descripta Unionis Foederalis, seu Status foederalis compositi ex pluribus Statibus. Si forma esset Confoederationis propriae dictae nullum esset dubium de iure uxorum Praesidum singulorum Statuum. Si qua ergo interpretatione hoc ius egeret, interpretatio esset declarativa. At pro Statibus Foederalibus Commissio duxit interpretationem, in sensu affirmativo datam, esse extensivam, id est, non contentam in sensu proprio verborum legis. Hoc quidem satis clare ex datis explicationibus patere videtur. Utrum autem in mente legislatoris Codicis haec extensio iam fuisset vel non, secundum notam disputationem doctorum (cfr. Van Hove, *De legibus ecclesiasticis*, II, pp. 249, 254), ex hodierna Responsione argui posse non videtur. Effectus autem interpretationis extensivae in casu est vacatio trium mensium, cum aequivaleat novae legi et debeat promulgari (can. 17 § 2).

Sed quaestio fieri potest haec: cum in canone 600, n. 3 eadem formula usurpetur quam in can. 598 § 2 Commissio hodie interpretata est, talis interpretatio applicaturne in casu ingressus in clausuram monialium.

Videlicet, possunt clausuram monialium ingredi « qui supremum actu tenent populorum principatum, eorumque uxores cum comitatu ». Possuntne etiam Praesides singulorum Statum Foederatorum, eorumque uxores cum comitatu? Respondendum censemus: *negative*. In interpretatione extensiva agitur de iure novo condito. Proinde illa interpretatio tangit ipsam legis substantiam. Iam vero, etsi eadem formula habeatur in diversis legibus, extensio sensus proprii in quadam lege non potest trahere similem in diversa lege extensionem. Ideo consulto Commissio inscriptionem dubii proposuit: *De interpretatione can. 598 § 2*, non vero de sensu formulae occurrentis etiam in aliis canonibus; sicque extensionem sensus proprii verborum contrahere intendit ad praedictum can. 598 § 2. Quare in aliis canonibus (600, n. 3, 776, § 1, n. 1, 1557, n.. 1) formula « qui supremum actu tenent populorum principatum » interpretanda est secundum sensum proprium, non includendo Praesides *singulorum* Statuum Foederatorum.

III. De aetate confirmandorum.

Pluries, tunc ipsa Commissio Interpretationis C. I. C., tunc S. Congregatio de disciplina Sacramentorum de aetate confirmandorum egerunt. Et quidem quaestiones resolutae eo respiciebant ut

canonis 788 praescriptum in traditione Ecclesiae Latinae bene radicatum servaretur et quoad litteram et quoad spiritum. Primum, dubio: an infantibus ante septenium sacramentum Confirmationis conferri possit, Commissio Codicis *negative* respondit, nisi in casibus de quibus in canone, praesertim « nisi ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur » (*AAS*, XXIII, p. 353). Cum autem consuetudo in Hispania et alicubi vigeret ministrandi sacramentum Confirmationis infantibus ante usum rationis, quaesitum fuit an dicta consuetudo servari posset. S. Congregatio de Sacramentis respondit *affirmative*. Cui responso hanc addidit *mentem* equidem gravem: « ut, ubi sacramenti confirmationis administratio differri potest ad septenium circiter aetatis annum, quin obstent graves et iustae causae, ad normam can. 788, contrariam consuetudinem inducentes, fideles sedulo edocendi sunt de lege communi Ecclesiae latinae, praemissa Sacrae Confirmationis administrationi illa cathechesis instructione, quae tantum iuvat ad animos puerorum excolendos et in doctrina catholica solidandos, prout experientia docet » (*A.A.S.*, vol. XXIV, p. 271). Praeterea S. Congregatio animadvertebat quomodo concilianda esset haec mens cum intentione et praecepto sacrorum canonum circa aetatem admittendorum ad Primam Communionem eucharisticam: « equidem opportunum esse et conformius naturae et effectibus sacramenti Confirmationis, pueros ad sacram Mensam prima vice non accedere nisi post receptum Confirmationis Sacramentum, quod est veluti complementum Baptismatis et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti (S. Thomas, p. III, quaest. 72, art. 2); non tamen iidem consendi sunt prohiberi quominus eamdem Mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint, quamvis Confirmationis sacramentum antea accipere non potuerunt ».

Spiritus ergo canonis 788 ex dictis clare apparet; qui idem est qui in Cathechismo Romano legitur: « Va notato che il sacramento della Confirmazione può certamente essere amministrato a tutti dopo il battesimo; ma da una parte non conviene che si faccia prima che i bambini abbiano raggiunto l'uso di ragione, e dall'altra se proprio non si debba attendere il dodicesimo anno, è senza dubbio sommamente conveniente differire fino al settennio tale sacramento ». In hac doctrina duo extrema aequa discretione vitantur.

In hodierno Responso Commissionis Interpretum C. I. C. alterum extremum prospicitur; videlicet « mandatum Ordinarii loci vetantis quominus sacramentum Confirmationis administretur pueris qui aetatem decem annorum adepti non sint ». Ex dictis manifestum est hanc dilationem esse contra mentem Ecclesiae. Nam Ecclesia vult equidem ut sacramentum Confirmationis administre-

tur illis qui bene distinguunt inter Baptismum et Confirmationem; at nulla ratio apparet ut differatur ultra aetatem in qua illa distinctio pueris facilis est, nempe, septimo circiter aetatis anno, uti canon 788 decernit. Imo cum fructus huius Sacramenti seu gratiae corroboratio per Confirmationem, in illa aetate, quae egressum e infantia signat, effectus suos maxime parere opus sit, non debet eius collatio differri sine iusta et gravi causa, in casibus singulis perpendenda. Quare mandatum *generale* Ordinarii loci quod pueris ante aetatem decem annorum administrare Confirmationem prohibeat, certissime contra instructiones RR. PP. militat. « Opus habent fideles, aiebat Leo XIII, vel a teneris, *indui virtute ex alto*. Quam Sacramentum Confirmationis gignere natum est; in quo, ut probe notat Angelicus Doctor, Spiritus Sanctus datur ad robur spiritualis pugnae et promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam ». (Epist. *Abrogata*, 22 iun. 1897, in C. I. C. *Fontes*), **III**, p. 515).

Unde canon 788 aetatem circiter septem annorum convenientem ad administrationem sacramenti Confirmationis dicit. Quare Commissio C. I. C. « attento can. 788 » mandatum de quo supra per modum generalis praecepti datum sustineri non posse merito edixit.

IV. De loco adsistendi Missae, legis de audiendo sacro implendae causa.

Responsum hoc difficultate caret. Nam in canone 1249 locus adsistendi Missae, legis de audiendo sacro implendae causa, determinatur secundum adiuncta ordinaria celebrationis ipsius. Excluditur oratorium privatum, tunc quia celebratio Missae ibidem a Sancta Sede conceditur indultariis, et ideo secundum tenorem concessionis regulanda est, tunc quia in ipsa exceptione legislator intendit sequi antiquam traditionem ut Missa litetur coram populo, ideoque illis in locis ad quos populus accessum habere possit. Nam Missa est actus cultus maxime proprius ad religionem publice colendam. In praecepto autem audiendi Sacrum diebus dominicis et festis Ecclesia quam maxime cultum publicum religionis intendit (Cfr. AAS, XVI, pp, 370-371).

Facultas Ordinariis concessa in canone 822 § 4 suam rationem habet in illa « iusta ac rationabili causa » de qua ipse canon. S. C. de Sacramentis eamdem describit: « la quale deve essere unicamente ispirata alle altissime ragioni di culto divino e al bene spirituale dei fedeli ». Quod si ita fiat, et agatur de « extraordinario casu » prout canon ipse requirit, pronum est ut Missae adsistentia in praedictis adiunctis valeat ad praescriptum legis de audiendo sacro adimplendum. Ut omnis dubitatio ea de re tollatur, Responsum hodiernum quaestioni propositae affirmative respondet.

V. De interpretatione can. 209.

Concilium Tridentinum per Decretum « Tametsi » omnibus matrimoniis formam substantialem imposuit, adeo ut aliter contracta quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus, irrita evaserint. Assistentia parochi non erat concipienda ut actus iurisdictionis, sed assistentiae tamquam « testis auctoritativi » seu qualificati; sacerdos autem qui matrimonio, iuxta Decretum, assistere debebat, aut ipse parochus vel Ordinarius, aut de eiusdem delegatione alius sacerdos esse poterat.

Auctores huic assistentiae generatim applicabant doctrinam de errore communi, quam ex iure romano deductam largam applicationem in iure canonico obtinuit pro omnibus gestis quae iurisdictionem importabant. Conditiones autem duae pro suppletione ab Ecclesia iurisdictionis ponebantur: a) ut adesset error communis, seu communitatis, b) et titulus coloratus in eo qui actum iurisdictionis ponebat. Haec quidem quia Ecclesia non supplet nisi in bonum fidelium.

De utraque conditione plures controversiae erant. Circa *errorem communem* disputabant auctores quando haberetur error communis et non error privati vel privatorum. Unde formulae diversae adhibitae ab AA. Immediate ante Codicem Bucceroni induxit illam distinctionem: error communis de facto et error communis de iure, quam auctores Codicem sequentes adoptaverunt communiter. Sic questio resoluta videtur, si dicetur errorem communem de iure vel in fundamento sufficere ut Ecclesia suppleat.

Quoad *titulum coloratum* attinet, maiores forsitan controversiae habebantur. Nam quidam pro omni suppletione Ecclesiae illum requirebant, et non solum titulum putativum aut existimatum: hi fuerunt omnes scriptores ante saec. XVII. Dein quidam a sententia communi deviarunt, et immediate ante Codicem auctores docebant in errore communi etiam sine titulo colorato Ecclesiam iurisdictionem supplere, addentes tamen, quoad iurisdictionem fori externi praesertim ordinariam, difficilius in praxi accidere posse, ut sine titulo colorato verificetur casus erroris communis; facilius autem quoad iurisdictionem fori interni.

Quoad suppletionem iurisdictionis *in dubio*, auctores communiter doctrinam Patris Suarez amplexi fuerant, disputantes tamen circa probabile dubium *facti;* nam frequentissime negabatur Ecclesiam supplere iurisdictionem in tali dubio.

* * *

Codex I. C. peculiari cura canonem 209 redegit: in quo acceptando doctrinam communem praecedentem circa iurisdictionem

ab Ecclesia suppletam, controversias exstantes dirimere veluit. Et primum etiam in dubio *facti* suppleri posse iurisdictionem expresse edixit. Circa exigentiam tituli colorati ut simul cum errore communi iurisdictionis suppletio haberetur, auctores fere omnes dixerunt, eam conditionem in iure Codicis non esse amplius requisitam. Quoad notionem erroris communis, Codex nihil definivit, quia « omnis definitio in iure periculosa est ». At maior pars auctorum nunc, quamvis diversis usi formulis ad errorem communem definiendum, contenti sunt dicere errorem a iure requisitum haberi in errore communi « de iure », vel « virtualiter » communi, vel « aeque » communi i. e. si fundamentum, seu factum publicum habeatur quo quibusdam licet paucis, error ingeritur, aliis quoque in eadem re erraturis, si factum cognoscerent.

* * *

Quoad *applicationem canonis 209 ad assistentiam matrimonialem*, pauci quidam, quoniam in canone sermo est de iurisdictione tantum, renuere videbantur in iure Codicis doctrinam de errore communi assistentiae matrimoniali applicare. Huius opinionis videretur fuisse R. P. D. Grazioli, qui in una *Carthaginen.* 17 decembris 1942, contra Defensorem Vinculi obiicientem in casu canonem 209, scribebat: « respondetur: assistentiam matrimoniis non esse actum iurisdictionis, quidquid dicant auctores, qui saltem iurisdictioni sensu latissimo vel prorsus improprio eam accensere autumant » (*Decisiones S. R. R. anni 1942*, t. 34, p. 832). Difficultatem voluerunt resolvere G. Krüger, (*Die Delegation zur Eheassistenz* p 27) et quidam alii, defendentes assistentiam matrimonialem esse actum iurisdictionis *voluntariae.* At haec opinio communiter reiecta est.

Alii applicationem praescripti can. 209 ad assistentiam matrimonialem desumpserunt, non ex ipso canone, ubi de suppletione iurisdictionis sensu stricto sermo est, sed aliunde: nempe, ex can. 6 nn. 2, 3, 4, et ex can. 20, quia Codex vel Commissio ad canones C. I.C. authentice interpretandos (*A. A. S.*, vol. XX (1928), p. 61), necnon praxis Rotae Romanae simili modo tractant de iurisdictione et de assistentia matrimoniali. Ita Wilches, *De errore communi*, (p. 203).

Quidam auctores intelligunt ipsum canonem 209 valere pro iurisdictione (lato sensu) et potestate paroeciali: id est, in errore communi, etsi non adsit titulus coloratus, Ecclesiae supplet iurisdictionem paroecialem et ideo *indirecte* facit validam assistentiam matrimoniis; nam haec assistentia in tantum valet in quantum *praesupponitur* iurisdictio paroecialis. Stante errore communi (pa-

rochus putativus), ipse error communis titulus est ad valide assistendum matrimoniis. Sic Claeys-Simenon, Ubach aliique.

Sunt autem doctores, qui rem aliter concipiunt. Facultas assistendi matrimoniis per se ipsam, seu iure proprio, pertinet ad parochum. In canone 209 vox « iurisdictio » valet et pro hac facultate, praecisione facta a iurisdictione seu potestate paroeciali. Id est, in errore communi *directe* suppletur facultas assistendi matrimoniis. Nam potestas assistendi est similis potestati iurisdictionis (sive strictae sive latae) tum in modo essendi, tum in modo se transmittendi. Error communis in casu parochi putativi et iurisdictionem paroecialem supplet (consequenter etiam facultatem assistendi matrimoniis) et hanc ipsam facultatem quae iure proprio a parocho possidetur.

Utraque conceptio valde differt in ordine ad assistentiam matrimonialem in casu *delegationis* sive generalis sive particularis. Nam qui dicunt per canonem 209 haberi suppletionem iurisdictionis paroecialis et tantum consequenter facultatis assistendi matrimoniis, in putative delegato nullam suppletionem admitti debere propugnant. Sic A. Gennaro in *Perfice munus*, (a. VIII, p. 24); C. Gorla in *Rivista del clero*, (1930, p. 665), Jone, in *Theol. pract. Quartalschfrift*, (1928, p. 806 s.), Linneborn, *Grundriss des Eherechts*, (p. 350, n. 2).

At auctores communius etiam assistentiae matrimoniali *delegatae* applicabilem esse canonem 209 pronuntiarunt. Id autem supponere videtur suppletionem in casu fieri *directam*, id est, ipsius potestatis assistendi matrimoniis, independenter a qualibet praesupposita iurisdictione paroeciali. Rationes praecipuae breviter expositae id ostendunt: a) nam historice constat suppletas fuisse tum in iure romano (1. 2, C. VII, 45) tum in iure canonico (C. 24, X, 2, 27) facultates *delegati* iudicis qui occulto impedimento ad iudicandum laborabat; b) quia plerique canonistae legem Barbatius (L. 3, D. I, 14) locum habere in delegato asseruerunt. Sufficit audire Fagnanum: « quamvis Innocentius IV teneat dictam legem Barbatius habere locum in ordinario tantum, prout loquitur, non autem in delegato... tamen communis opinio est in contrarium » (ad c. 2, X, 5, 8); c) sacerdos delegatus, etsi nullum habeat officium vel late dictum, ratione licentiae participat in munere assistendi matrimoniis, quod habent parochus et Ordinarius loci; qua participatione publicam personam gerit in negotio quod interest publice, id est, sollemnis celebratio matrimonii. d) ideoque sive immediate ex applicatione can. 209, sive per necessariam analogiam (c. 20), ubi publica utilitas intercedit, ne communitas detrimentum capiat, Ecclesia supplere velit necesse est id quod deest in eo qui per errorem communem putatur delegatus, seu competens ad assistendum ma-

trimoniis. Sic Coronata, in *Palestra del clero*, (a. IX, p. 204); Fabregas in *Periodica*, (1933, p. 200);Wilches, o. c. (p. 209); Savaré, *De errore communi circa assistentiam matrimonii*, (pp. 39, 55), et alii plures.

Sed hi auctores non omnes conformes sunt in quibusnam conditionibus Ecclesia suppleat defectum delegationis. Distinguunt nempe inter ipsos delegatos. Nam delegatio haberi potest generalis in vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt (can. 1096 § 1); delegatio etiam specialis esse potest, nempe sacerdotis determinati ad matrimonium determinatum (eod. can.) Iam vero distinguitur hoc modo. Quando licentia equidem data est, sed *occulto vitio laborat* propter quod irrita est, Ecclesia in errore communi vel in dubio positivo et probabili supplet competentiam matrimonialem, et matrimonium in casu validum est. Ita multi auctores. Vel licentia *positive* deest: et tunc vel agitur de vicario cooperatore pro paroecia cui est addictus, vel de sacerdote determinato qui nullum titulum possidet ad assistendum matrimonio determinato. In vicario cooperatore cum officium ipsum possit esse fundamentum erroris communis de habita delegatione generali, suppletionem de qua in canone 209 admittunt plerique: quaestio est de ponderandis adiunctis an ille error communis, secundum notiones antea datas, exstiterit necne; nam bonum publicum ob quod supplet Ecclesia non deesse posse videtur. Ait Cappello: « Si agitur de sacerdote delegato ad universitatem causarum, praesertim de vicario cooperatore aut de sacerdote qui saepe vices parochi suppleat, error *communis* potest non raro verificari » (Cfr. *Tract. de sacramentis.* Vol. V. *De matrimonio*, edit. 1950, p. 656).

In casu quo matrimonium celebretur coram simplici sacerdote nullam positive licentiam habente, quia data non est, cum sacerdos egeret ea *ad tale matrimonium determinatum*, multi edixerunt nec bonum publicum seu commune intercedere, nec errorem communem in sensu canonis 209 esse *possibilem;* proinde in ea hypothesi deduxerunt Ecclesiam non supplere. Ita Vermeersch, Creusen, Cappello, Fábregas, Savoré et alii. Quidam etiam in hoc casu applicationem canonis 209 esse possibilem tenuerunt; seu quod idem est, affirmant applicabilitatem erroris communis ad assistentiam matrimonialem tum pro delegato generali tum pro quovis sacerdote qui matrimonio assistit, si fideles prudenter iudicant ipsum debita potestate esse instructum. Sic Jombart (quamvis opinionem temperavit suam), Raus, Wilches et alii quidam. Aliis verbis: ad sensum can. 209 in casu sacerdotis qui nullum titulum competentiae habet ad assistendum matrimoniis (quia nec vicarius cooperator, nec vices parochi suppleri consuevit, nec alio modo ligatur cum assistentia matrimoniali) quidam dicunt errorem communem non

esse possibilem, alii autem « difficulter haberi » posse (cfr. Cappello, l. c.); alii autem suppletioni Ecclesiae per canonem 209 in assistentia matrimoniali nullam limitationem esse ponendam. Sic Wilches (l. c. p. 213), qui ait: « sententiam quae tenet in delegato ad unam causam errorem communem exstare posse cum utilitate publica coniunctum esse solide fundatam... quare ad normam can. 20 applicationem huius doctrinae ad matrimonii assistentiam legitimam esse, neque hanc applicationem esse abolendam ex fraudibus qui accidere possunt, quia hoc est quid per accidens et boni non habent privari emolumento a iure concesso, eo quod quidam ea abuti possunt ».

Praestat declarare in quo resideat, secundum auctores prius citatos, in delegationibus particularibus, impossibilitas vel magna difficultas habendi errorem communem a can. 209 designatum ut suppleat Ecclesia.

Scilicet sacerdos qui nullum titulum habet competentiae (et proinde non potest delegari generaliter) semper delegari debet ad matrimonium (unum) determinatum. Qui contrahunt possunt existimare illum habere licentiam ad *suum* matrimonium celebrandum. Ceteri assistentes vel sciunt sacerdotem qui assistit egere licentia vel non. Si sciunt, et putant illum habere ad tale matrimonium determinatum, remanent sicuti ipsi contrahentes in errore particulari *privato*, qui non potest esse fundamentum erroris aeque communis. « Quand même il y aurait foule au mariage, il n'y aurait pas erreur commune. Car cette erreur ne saurait être d'*usage commun*, intéresser la communauté »; sic Creusen *in Nouv. Rev. Theolog.*, (t. 50, (1923) pag. 364). Et his adstipulari videntur verba Reiffenstuel (l. IV, t. 3, n. 76): « error privatus contrahentium et aliquorum non sufficit, nec ob eum ius supplet iurisdictionem, uti est unanimis sententia per iura citata. Ratio est, quia ob privatum errorem unius vel alterius non sequuntur memorata inconvenientia et scandala; nec patitur bonum commune, ob quod solum tamen iura iurisdictionem supplent, iuxta dicta ».

Si autem contrahentes et ii qui adsistunt matrimonio nesciunt sacerdotem matrimonio assistentem egere delegatione, nec habent notitiam alicuius muneris quod in paroecia ille exerceat vel in loco celebrationis (v. gr. cappellanus sanctuarii), ex quo cogitare valerent, sicuti alii in communitate, illum matrimoniis assistere posse, casus esset ignorantiae necessitatis alicuius tituli (officium, licentia) ad assistentiam matrimonialem. Ignorantia non confunditur cum errore. Deesset nempe fundamentum *erroris communis*. Sic, quicumque alius vellet illum sacerdotem suis nuptiis assistere, ob necessitatem praeliminarium matrimonialium, statim ignorantiam deponeret, quia in ipsis praeliminaribus discet aliquid quod numquam

cogitavit, nempe, non quemcumque indistincte sacerdotem matrimoniis assistere posse. Si autem numquam cogitavit, versabatur in ignorantia, non in errore.

Quodsi haec impossibilitatem habendi errorem communem in delegationibus particularibus non evincunt, magnam tamen difficultatem probationis ostendunt. « Est res *facti*. Attendendae sunt circumstantiae, potissimum erroris fundamentum, ratio agendi sacerdotis, paroecianorum opinio » (Cappello, l. c., p. 657). Quae cum ita sint, ecquis dicet Ecclesiam in talibus adiunctis ob bonum publicum supplere intendisse?

* * *

Necessaria visa est haec longa, quamtumvis ad maiora contracta, expositio quaestionum, quae in applicatione canonis 209 ad assistentiam matrimonialem ortae sunt, ut sensus hodierni Responsi determinaretur. Animadvertendum est, Commissionem Interpretum nunc prima vice de ea applicatione egisse. Dubium vertitur circa applicationem canonis 209 sacerdoti qui delegatione carens, matrimonio assistit. Commissio numquam posuit dubium: an canon 209 matrimonio applicari debeat. Hodierna Responsio affirmative respondit implicite. Neque sibi proposuit dubium magis concretum: utrum parocho putativo suppleat Ecclesia iurisdictionem (late sumptam) et facultatem assistendi matrimoniis. Responsio affirmativa indubie est etiam in hodierno Responso contenta. Idem dic de omnibus qui nomine parochi veniunt; nam si quacumque de causa iura parochialia (cc. 472, 473, 474), quae eis competunt, deficerent ex occulto impedimento, Ecclesia vi canonis 209 eadem ratione suppleret. Et hi sunt qui iure ordinario matrimoniis assistunt.

Responsum hodiernum agit de iis, qui iure delegato matrimoniis assistunt. Enuntiatio « in casu sacerdotis, qui delegatione carens, matrimonio assistit » dubium indistincto modo proponit, quin specificet inter eos qui ex delegatione generali assistunt vel ex delegatione particulari. Et ita edicit: praescriptum canonis 209 iisdem applicandum esse. Quod significat: in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti habitae delegationis, *sacerdotem*, qui delegatione caret, valide matrimoniis assistere, quia Ecclesia supplet; et in errore communi, etiam sine titulo colorato (quia canon hunc non requirit) eumdem sacerdotem valide assistere, quia pari modo Ecclesia supplet. At, sicut in Codice ipso legislator, sic nunc Commissio abstinet a iudicando quando et quibus in casibus *error communis habeatur*. Id ex doctrina sumendum est.

Itaque, quamvis quidam tacebant de applicatione canonis 209 ad competentiam delegatam matrimonialem, v. gr. Gasparri, Wernz-Vidal aliique, hodie ex hodierno Responso certa est illa ap-

plicabilitas. Neque negari potest in casu delegationum generalium suppletionem Ecclesiae magis claram reddi hodie post hoc Responsum. Nam Commissio imprimis talem casum considerare debebat, sive ii qui delegari generaliter valent (vicarii cooperatores) licentiam generalem revera habuissent, quamvis irritam, sive nullam habuissent, sed habere existimarentur. Pro vicariis cooperatoribus prae oculis habenda est Responsio Commissionis die 31 ianuarii 1942 data (A.A.S., v. 34 (1942) p. 50). Unde cum in eis bonum publicum certa quadam ratione existat, et ratione offici error communis facile intervenire possit, suppletio Ecclesiae per applicationem canonis 209 in iis adiunctis certo habebitur.

Si vero agitur de delegationibus particularibus necessariis ad matrimoniis assistendum sacerdotibus qui, omnino independenter a quovis officio vel titulo illam accipere debent, quaestiones supra propositae etiam post Responsum hodiernum integrae manere videntur. Nam illae agitantur circa conditiones erroris communis, quas canon 209 requirit ut Ecclesia suppleat.

Unum addere liceat. Quidam affirmarunt in casu delegationis particularis necessariae ad valide assistendum, Ecclesiam non velle supplere, etiamsi haberetur error communis a can. 209 requisito, si non simul adesset aliquis titulus « competentiae ». Nam dicunt: in eo casu vel verificantur conditiones canonis 1098 et tunc matrimonium valet absque suppletione; vel non verificantur, et Ecclesia censenda est non velle supplere. « Si error communis nullum reperiat in sacerdote assistenti titulum saltem coloratum competentiae (nota verbum!) et simul adiuncta celebrationis sint ordinaria propter physicam praesentiam, saltem intra mensem, sacerdotis competentis (in loco ubi celebratur matrimonium); spectata voluntate Ecclesiae in iure matrimoniali expresse manifestata, cui sola Ecclesiae derogare potest, censendus est sacerdos, ita assistens, in assistentiam sese intrudere occasione erroris communis. Per hanc tamen assistentiam sine titulo competentiae positam, plerumque servatur ipsi contractui matrimoniali species et figura matrimonii, cum connexis sive favore iuris, sive possibilitate facilioris sanationis in radice, necnon, stante bona fide saltem unius contrahentis, prolis legitimatione. His legis praescriptis *sufficienter consulitur bono contrahentium et communitatis:* nam faciliter error communis sine titulo competentiae matrimonialis in adiunctis ordinariis celebrationis matrimonii detegi potest a plene curato, qui « defectui legitimae formae » (cfr. can. 1137 et 1139) subvenire poterit per convalidationem simplicem vel sanationem in radice (can. 1137-41) ». Cfr. Savoré, l. c., p. 52. Haec non videntur nunc sustineri posse. *Si adest error communis* in matrimoniis celebratis coram sacerdote carente delegatione (cum illa egeret), Ecclesia bono publico con-

trahentium et communitatis non solum succurrit convalidationibus et sanationibus, sed etiam suppletione facultatis assistendi.

Quamvis forsitan pleraque alia essent dicenda, ea nunc supersedenda censemus, in alio loco commodius tractaturi.

VI. De applicatione praescriptorum can. 197, 199, 206-209, potestati dominativae.

Quid sit potestas dominativa et quomodo differat a potestate iurisdictionis ex probatis auctoribus desumi debet. Potestas dominativa alia est publica, alia privata. Quamvis Codex iuris canonici hanc distinctionem non agnoscat, hodie tamen inter auctores magis quotidie invalet (Cfr. Larraona, *De potestate dominativa publica in iure canonico. Acta Congressus iuridici internationalis*, t. IV, pp. 147-180). Quod maxime nunc tenendum esse videtur, eo quod in recenti Motu Proprio, *Postquam Apostolicis*, *De religiosis*, *de bonis ecclesiae temporalibus et de verborum significatione pro Ecclesiis orientalibus* (A.A.S., vol. 44 (1952), p. 65 ss.) canon 305 recenset « potestatem sive ordinis sive iurisdictionis aut aliam publicam ecclesiasticam potestatem ». Legislator intendit dicere de potestate dominativa publica. Ita Herman, in *Monitor Ecclesiasticus*, (1952, pp. 259-260).

Iam vero, a tempore publicationis Codicis I. C. auctores asserere solebant, ea, quae in lib. II, tit. V « de potestate ordinaria et delegata » statuuntur, applicari posse iuxta naturam rei potestati dominativae. Cl. Maroto (*Instit. Iuris Can.*, ed. 3ª, p. 824) aiebat: « ex generica illa inscriptione, non coarctata ad solam iurisdictionem, potest quis argumentum trahere ut regulas hic directe pro iurisdictione traditas applicet proportionaliter etiam aliis fori externi potestatibus non iurisdictionalibus, puta oeconomicae quae parochis competit, dominativae quae Superioribus religiosis non exemptis etc. ».

Haec sententia a multis auctoribus propugnata est. Quoad potestatem administrativam seu oeconomicam paroeciae attinet (cfr. cc. 451 § 2, n. 2; 454 § 1; 476 § 6; 738 § 1; 848, 1095, 1245 etc.) ab ipso Codice et iurisprudentia canonica aequo modo potestas paroecialis seu iurisdictio parocialis (cfr. cc. 454 § 1; 1230 § 3, 1368) tractatur ac ipsa iurisdictio ecclesiastica.

Potestas autem dominativa Superiorum religiosorum et Societatum in communi viventium sine votis (cc. 501 § 1, 675) similem expressam specificationem non adeo obtinuit, quamvis ex ipsa natura rei magis ad potestatis iurisdictionis exercitium accederet pro gubernatione religionum et quasi-religionum. Ex.mus P. Larraona hunc accessum efficacibus argumentis demonstravit (cfr. articulum l. c. pp. 168-177), praesertim quod attinet ad potestatem domina-

tivam in religionibus *clericalibus* non exemptis; pro ipsis reservavit nomen potestatis dominativae publicae, eam vocando iurisdictionem imperfectam seu inchoatam. Sed in religionibus vel societatibus sine votis, etiam laicalibus, servata proportione gradus et naturae officii ecclesiastici differentia (nam in religionibus clericalibus non exemptis officium ecclesiasticum est stricte dictum, in religionibus laicalibus est late dictum, cfr. can. 145 § 1) de omni potestate dominativa dici potest quamdam publicitatem retinere propter quam usus potestatis regulis iuris submitti oportet. Imo, nisi quidam canones, v. gr. canon 209, potestati dominativae in religionibus applicarentur, Codex non satis prospiceret gravi necessitati quae pro communitatibus saepe saepius evenire posset. « Quand, de l'absence de pouvoir légitime dans le chef d'un Superieur d'une societé ecclésiastique, et cela à cause d'un vice ignoré de tous ou de la plupart des membres, résulte la nullité d'actes juridiques importants, l'Eglise se doit de pourvoir au bien de la communauté, si cela dépend d'elle. Il suffit de réfléchir un instant aux répercussions qu'aurait par exemple la nullité d'une élection sur la vie religieuse d'un grand nombre de fidèles. Comment admettre que, par ex. à cause de la naissance illégitime d'un Superieur majeur, ignorée de tous, un grand nombre de sujets ne soient pas membres de l'Institut auquel ils se sont donnés, ne soient liés davant Dieu par de promesses sincèrement et publiquement émises; que les contrats les plus importans pour la communauté soient nuls de plein droit etc. ». (Creusen, *Pouvoir dominatif et erreur comune*, in *Acta Congressus iuridici internationalis*, vol. IV, pag. 185). Quodsi haec de adeo momentosa regula iuris scripta sunt, a fortiori dicendum est de aliis quae regimen ipsum potestatis normare debent.

Hodiernum Responsum huic verae lacunae nostri iuris satisfacit; recenset enim canones tituli Codicis *de potestate ordinaria et delegata* qui potestati dominativae in Religionibus et Societatibus sine votis, *etiam laicalibus*, applicantur.

Scilicet, haec potestas potest esse ordinaria et delegata, et potestas ordinaria potest esse sive propria sive vicaria (can. 197). Consequenter regulae delegationibus desumendae sunt, « nisi natura rei contextusve legis obstet » ex can. 199. Subintelligitur clausula « congrua congruis referendo ». Obiectum quidem potestatis dominativae nequit esse idem ac potestatis iurisdictionis; sed in Codice quid Capitula et Superiores possint clare et determinate praefinitur, et in Constitutionibus ea etiam continentur quae ad bonam gubernationem Religionum et Societatum sine votis potestatis exercitium regulant. Imo in canone 206 regula specialis pro potestate delegata statuitur. Quia vero maximi momenti est determinare quo-

modo potestas extinguatur oportune applicantur potestati dominativae canones 207 et 208.

De canone, autem, 209 supra diximus.

De aliis autem canonibus eiusdem tituli in hodierno Responso non memoratis dicendum videtur, etiam illos, nisi natura rei vel contextus legis obstet, applicari posse potestati dominativae. Sic canonem 205 applicationem obtinere debere arguitur ex eo quod in canone 207 § 3 supponitur possibilitas et exercitium potestatis pluribus delegatae. Quae autem in canonibus specifica sunt potestatis iurisdictionis vr. gr. iudicialis (cfr. canon 201 § 2) nimis evidens est applicari non debere.

In hodierno Responso non memoratur can. 198, quod non sine ratione factum esse credimus. Nam non defuit qui affirmaverat « Superiores maiores Congregationum clericalium non exemptarum, *Ordinarii* nomine quandoque venire » posse (Larraona, CpR, t. IV (1923) p. 116). Putamus Commissionem Codicis deliberate omisisse canonis 198 mentionem, ne modus introducatur dicendi qui neque in praxi neque in doctrina praevaluit, solutionem nempe difficultatum, quae in quibusdam canonibus habentur circa extensionem vocis « Ordinarii », privatae doctrinae relinquendo.

Raymundus Bidagor S. I.

PONTIFICIA COMMISSIO AD REDIGENDUM CODICEM IURIS CANONICI ORIENTALIS.

RESPONSUM AD PROPOSITUM DUBIUM

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE « CREBRAE ALLATAE SUNT » (XXII MENSE FEBRUARIO, ANNO MDCCCCXXXXIX).

CANONIS 86 § 1, N. 2 INTERPRETATIO AUTHENTICA

D. I. An vi can. 86 § 1, n. 2 parochus et loci Hierarcha intra fines sui territorii licite et valide assistant matrimonio fidelium sui ritus etiam in locis quae sunt exclusive alius ritus, dummodo adsit expressus consensus Ordinarii, vel parochi, vel rectoris praedictorum locorum.

R. Affirmative.

D. II. Utrum interpretatio data in responsione ad I sit declarativa an extensiva.

R. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Datum Romae, die 8 m. Iulii a. 1952.

De speciali mandato Sanctissimi
M. Card. MASSIMI, *Praeses*

L. + S.

A. Coussa, Basilian. Aleppen., *a Secretis*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 552).

ADNOTATIONES

I. Huius Responsi duplex est momentum. Primo et directe facultas fit Hierarchae loci vel parocho adsistendi matrimoniis fidelium sui ritus etiam in locis exclusive ad alium ritum pertinentibus, quae intra fines sui territorii inveniuntur. Ad validitatem vero talis matrimonii requiritur habeatur ut expressus consensus Ordinarii vel parochi vel rectoris praedictorum locorum. Haec facultas maxime in votis erat Hierarchiae orientalis, quod facile intelliget qui adiuncta Proximi Orientis considerat.

Cum enim plures ritus in eodem territorio permixti vivant, saepe plurium rituum fideles in uno eodemque loco habitant, ex

quibus alii ecclesiam vel oratorium proprii ritus habent, alii non. Si igitur v. g. fideles ritus melchitici matrimonium in ecclesia inire desiderant, cum ecclesia ritus melchitici non habetur, recurrendum est ad ecclesiam maroniticam ibi exsistentem. Quis vero matrimonio duorum Melchitarum in ecclesia maronitica valide assistere potest? Ut primo aspectu videri possit, Hierarcha loci Melchitarum vel parochus eiusdem ritus, cum secundum canonem 86 § 1, n. 2 Motu proprio *Crebrae allatae sunt*, ad validam assistentiam requiratur, ut assistens sit eiusdem ritus atque contrahentes? Sed hi in ecclesia maronitica non iam sunt in proprio territorio, sed in territorio quod exclusive est ritus maronitici, ideoque non habent facultatem assistendi necessariam ad valide matrimonio assistendum. Ex altera parte neque parochus maroniticus valide assistit, cum fideles non sint sui ritus. Sed neque facultatem assistendi ab Episcopo Melchita recipere potest; nam hic ipse non habet facultatem assistendi in illa ecclesia neque ideo cum alio hanc facultatem communicare potest.

Responso I Pontificiae Commissionis ad redigendum Codicem Iuris canonici orientalis haec difficultas nunc ablata est. Hierarcha loci et parochus matrimoniis suorum fidelium in loco qui est exclusive alius ritus abhinc valide assistunt, dummodo Ordinarius vel parochus vel rector illius loci expresse consentiat. Additur hic rector ad Ordinarium et parochum, cum non raro accidat ut habeatur ecclesia non paroecialis, vel nosocomium, vel aliud institutum proprie eparchiale, non vero paroecia illius ritus. Si in tali loco matrimonium fidelium alius ritus celebretur, rectoris consensus satis est. Secundum normam in Responso datam non traditur facultas assistendi Hierarchiae vel parocho contrahentium ab Ordinario vel parocho vel rectore loci, sed condicio tantum impletur qua impleta ipso iure eis facultas fit assistendi matrimonio suorum fidelium.

Requiritur autem ut consensus sit expressus, quod facile intelligitur. Nam necesse est ut de eo vere constet. Eaedem rationes id suadebant ob quas in can. 87 § 1, n. 1 expressa concessio facultatis assistendi exigitur. Aliae vero condiciones in can. 87 § 1, n. 1 statutae non exiguntur hic, sed satis est ut serventur ea quae in iure de consensu expresse dando ordinata sunt, v. g. consensus generatim dari potest, non tantum ad singulos casus, neque requiritur ut detur sacerdoti determinato etc. Ratio evidens est: non agitur hic de danda ipsa facultate assistendi matrimonio, sed de consensu qui accedit tantum ut condicio externa.

II. Alterum non minus grave quod Responso indirecte saltem definitur, ad loca quae sunt exclusive unius ritus pertinet. Talia loca sunt « ecclesiae, episcopium, domus paroecialis, nosocomium,

scholae episcopales stricte tales (i. e. auctoritate Episcopi conditae praecipue pro sui ritus fidelibus) » [1].

Expressis verbis in Responso nunc admittitur existentia talium locorum quae sunt exclusive unius ritus et indirecte atque implicite saltem statuitur Hierarcham loci et parochum alius ritus non habere facultatem assistendi matrimoniis suorum fidelium in his locis. Hoc clare deducitur ex dictis; si in omnibus aliis locis intra fines sui territorii valide assistit, in locis autem exclusive ad alium ritum pertinentibus, invalide, ratio haec esse debet, quod in his locis facultate adsistendi caret. Neque res ita concipi potest ac si Hierarcha vel parochus habeant iurisdictionem et facultatem assistendi in his locis, sed alligatam consensui expresso Ordinarii loci vel parochi vel rectoris. Nam quod consensu expresso accedente matrimonia valide contrahi possunt, altero et posteriore tempore statutum est et ad hunc scopum ut in casu particulari matrimonium fidelium ecclesiam in loco non habentium, in ecclesia alius ritus celebrari possit. Non igitur ab initio in intentione erat, sed postea tamquam remedium accessit haec mitigatio,.

Quamquam autem in Dubio I sermo est tantum de assistentia matrimoniali quae non est actus iurisdictionis stricte dictae, tamen quae hic dicta sunt etiam ad iurisdictionem applicari posse videntur. Aliis verbis, in locis quae sunt exclusive alius ritus, Hierarcha loci vel parochus, vel alii qui iurisdictionem habent in suo ritu hanc exercere valide non possunt. Haec est regula quae forte propter rationes speciales aliquas patitur exceptiones [2]. Haec norma quod ad confessionem attinet, a S. Congregatione pro Ecclesia Orientali iam ante Responsum nunc editum recepta erat. Cuius rei habemus documentum in litteris datis die 26 Augusti 1932 ad Exc. D. Margotti, Delegatum Apostolicum in Graecia, in quaestione quae orta erat inter Archiepiscopum Atheniensem latinum et Exarchum Apostolicum pro catholicis Graecis ritus orientalis. Cum hoc documentum ad nostram quaestionem non parum referat, responsum, quatenus ad nos spectat, hic transcribimus: « Il sacerdote orientale, approvato per le confessioni dell'Ordinario del proprio rito, non può esercitare, *valide et licite*, tale facoltà nei territori e nei luoghi sottoposti all'esclusiva giurisdizione di altro Ordinario di rito diverso, se questi non gliela comunica espressamente. E, quindi, un sacerdote di rito bizantino greco, approvato per le confessioni dal suo Ordinario, non può *valide et licite*, assolvere, in una Chiesa od

---

[1] A. Coussa, *De Matrimonio*, Romae 1950, p. 197.

[2] Ita nolumus affirmare iis quae mox de confessione dicemus, impediri eum qui ordinariam habet absolvendi potestatem, quominus recipiat confessiones suorum fidelium, cum id expresse ei C. I. C., can. 881 § 2 ubique terrarum concedatur.

Oratorio che siano sottoposti alla esclusiva giurisdizione dell'Ordinario di rito latino, se questi non gli conferisce espressamente tale facoltà » [3].

Ex parte sua S. Congregatio de Propaganda Fide, litteris die 2 Dec. 1932 datis, « declarationem » analogam edidit, quae sacerdotibus latinis idem praescripsit, quod in responso S. Congregationis pro Ecclesia Orientali declaratum erat pro sacerdotibus orientalibus [4]. Notandum autem est neque S. Congregationem pro Ecclesia Orientali, neque S. Congregationem pro Propaganda Fide novum ius introducere voluisse, sed, ut ex textu manifestum est, tantum ius vigens declarare et inculcare. Similiter duo Episcopi omnino concorditer de quaestione iuris iudicabant; controvertebatur tantum de quaestione facti. Recentioribus temporibus S. Congregatio pro Ecclesia Orientali idem decretum ad Hierarchiam Malankarensium dedit.

His declarationibus inter alia nixus, R. P. Coussa in suo de Matrimonio tractatu quod a SS. Congregationibus de locis ad aliquem ritum exclusive pertinentibus et de aliorum rituum in his locis iurisdictione statutum erat, applicari posse censuit etiam facultati assistendi matrimoniis [5]. Contra hanc sententiam vero graves obiectiones movit R. P. F. Galtier S. I. [6]. Cum ad probandam sententiam positivam aut negativam maxime interveniret exemplum confessionis, praecipue quod ad hoc sacramentum attinet, probare voluit restrictionem iurisdictionis a R. P. Coussa affirmatam non posse admitti, cum contradiceret principiis saepe a Sede Apostolica proclamatis et careret fundamento iuridico.

Abundantem textuum messem adduxit, ex quibus tamen plerique demonstrant studium Sedis Apostolicae in genere tuendi libertatem fidelium adeundi quemlibet confessarium rite approbatum, etiam ritus diversi, pauci directe de confessione coram confessore in ecclesia ab eius ritu diverso peracta agunt. R. P. Galtier ope argumenti ex silentio alios textus in defensionem suae thesis adducere conatur; sed nemo ignorat quanta cum cautione hoc argumentum adhibendum sit. Neque convincunt quae de quaestione ex conciliis Orientalium catholicorum affert. Textus v. g., ex synodo Romano Armenorum, n. 463 desumptus, prout attente considerato contextu manifestum est, non de confessariis diversi ritus loquitur, sed de sacerdotibus armenis qui ab Hierarcha loci facultatem audiendi confessiones non acceperint. Quatenus video unus textus

---

[3] *Sylloge*, Typis polyglottis Vaticanis, 1949, doc. 173, p. 444.
[4] ibid., doc. 175, p. 448.
[5] loc. cit.
[6] *Le Mariage*, Beyrouth 1950, p. 298, n. 1).

citatus a R. Patre certo missionariis latinis ius tribuit recipiendi confessiones Orientalium in ecclesiis eorum ritus. Cf. responsum S. C. de Propaganda Fide datum die 11 Dec. 1838 ad Delegatum Apostolicum Aegypti, n. 6 [7].

Ceterum nullo modo negamus missionarios apostolicos missos in regiones Orientis a Sede Apostolica facultatem accepisse recipiendi confessiones Orientalium etiam in horum ecclesiis. Sed specialia adiuncta consideranda sunt, quae illis temporibus talem modum procedendi imponebant. Missionarii mittebantur in Orientem in auxilium Orientalium, praesertim ut doctrinam catholicam exponerent et sacramenta administrarent. Iam vero ubi id facerent nisi in ecclesiis ipsorum Orientalium? Nam primis temporibus missionarii vel proprias ecclesias non habebant, vel cavere debebant ne fideles ex locis cultus propriis ad latinos abstraherent quod necessario aversionem et oppositionem cleri orientalis excitaret.

Hodie vero adiuncta valde mutata sunt et ubique in Oriente clerus bene formatus sub propriis Patriarchis et Episcopis curam suorum fidelium exercet. Nil mirum proinde quod auxilium sacerdotum latinorum libenter recipiens in Collegiis aliisque Institutis ecclesiasticis, tamen sibi ipsi ordinaria ministeria paroecialia vindicat. Hinc etiam in disciplina paenitentiali absoluta illa libertas sacerdotum latinorum recipiendi ubique confessiones fidelium orientalium restricta est et huius restrictionis exempla iam ante declarationem SS. Congregationum pro Ecclesia Orientali et de Propaganda Fide anno 1932 datam interdum in litteris S. Congregationis pro Ecclesia Orientali apparent.

Quod disciplina nunc in Responso ad Dubium I stabilita melius respondeat conceptibus et exigentiis nostri temporis, non difficulter probari potest. Ab antiquis temporibus per plurima saecula in Ecclesia viguit principium secundum quod in territorio ecclesiastico vel in dioecesi unus tantum rector seu Episcopus admitti poterat. Haec regula sollemniter confirmata est in IV Concilio universali Lateranensi cui praesedit Innocentius III. In cap. IX ordinatum est ut in civitatibus et dioecesibus in quibus permixti sint populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus et mores, a pontificibus viri idonei eligerentur qui secundum diversitatem rituum et linguarum divina officia illis celebrarent et ecclesiastica sacramenta administrarent. Verum omnino prohibitum est, « ne una eademque civitas sive dioecesis diversos ponti-

---

[7] *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, t. I, n. 879 - Ad difficultates a R. P. Galtier propositas respondit etiam R. P. E. Nijmé, *De l'existence, en Orient, d'une juridiction exclusive sur certains lieux situés dans une circonscription territoriale commune à plusieurs Rites*, Proche-Orient Chrétien, t. II (1952) pp. 69-74.

fices habeat, tamquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum »[8]. Monstruosum videbatur illis temporibus constituere plures Episcopos in eodem territorio etiam si haberentur ibi populi variorum rituum. Posterioribus temporibus hac ratione difficili quaestioni providere conati sunt, ut fidelibus rituum orientalium qui in dioecesi latina inveniebantur, praeficeretur Vicarius Generalis eiusdem ritus orientalis qui dependebat ab Episcopo latino; ita principium unicitatis Episcopi conservabatur. Cum autem saeculis XVI et XVII multitudines Orientalium cum suis pastoribus ad Ecclesiam redirent, fieri non potuit quin his ius habendi proprium Episcopum conservaretur ideoque in regionibus ubi Rutheni cum Polonis, vel Rumaeni cum Hungaris una vivebant, conservatae sunt praeter dioeceses latinas etiam dioeceses orientales. Quam firmiter vero principium ab Innocentio III proclamatum mentibus inradicatum esset, ex eo apparet quod vel anno 1907, cum constituendus esset Episcopus pro Ruthenis Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, constitutione *Ea semper* institutum est officium Episcopi Ordinatoris, quod ad reliqua ab Episcopis latinis dependentis, donec post paucos annos experientia docuit nostris temporibus talem limitationem sine gravi animarum damno conservari non posse.

Hodie enim apud omnes in confesso est, Orientales aequali ratione atque Latinos gaudere iure habendi proprios pastores ubi id fieri possit; quod valet in primis pro Oriente. Negari autem non potest ex hac regula quae aequa et necessaria est, etiam gravia incommoda oriri. Cum enim Episcopi orientales non solum personalem potestatem habent sed etiam territorialem, non secus atque Episcopi latini, consequitur non raro in eodem territorio tres, quatuor, quinque Episcopos iurisdictionem episcopalem habere. Nemo autem non videt quantopere minuatur oportet auctoritas Episcopi, si nullum locum habeat qui ei solus subiectus sit, sed omnia loca semper communia sint cum aliis; idque ubi de locis agatur praecipuis sui ritus, ut ecclesia cathedralis, ecclesiae paroeciales, episcopium etc. Quod nunc in Responso ad Dubium I Episcopi exclusiva iurisdictio super certa loca sui ritus clare agnoscatur, verus progressus iuris nobis videtur. Ceterum aequalitas iuris Episcoporum non laeditur, cum hoc praescriptum de omnibus ritibus pari ratione vigeat.

III. Ultima quaestio est de Dubio II. In responsione ad hoc Dubium declaratur interpretationem datam in Responso I non esse declarativam, sed extensivam. Omissis subtilioribus quaestionibus

[8] Mansi, t. XXII, c. IX, col. 998.

a canonistis ventilatis, dicimus secundum canonem 17 § 2 Codicis I. C. interpretationem declarativam illam quae legis verba in se certa declaret tantum; interpretationem extensivam illam quae legem extendat. Quamquam autem multi auctores interpretationem sensu stricto admittere nolunt quae ultra mentem legislatoris in lege determinatam procedit, tamen in praxi interpretationem extensivam lato sensu admittendam esse censent, « in quantum de facto cum hac lege conjungitur, seu rectius, huius legis occasione exprimitur vel proponitur » [9]. Quod applicari potest Responso de quo loquimur.

Quid vero obiectum sit huius interpretationis extensivae seu novum quod per eam in ius introducitur, facile videtur: facta Hierarchis et parochis assistendi facultas in loco qui est exclusive diversi ritus, addita condicione: dummodo etc. Ante huius Responsi promulgationem Hierarcha loci et parochus invalide in his locis adstiterunt, nunc valide assistunt. Porro cum interpretatio extensiva non retrotrahatur, matrimonia tali ratione invalide contracta, hoc Responso non convalidantur. Oportet igitur ea convalidationem accipere ad normam can. 126 Motu proprio *Crebrae allatae sunt*, vel, si casus fert, can. 127 ss [10].

Haec consequentia a nonnullis sine dubio non sine admiratione recipietur. Nam responsionibus Pontificiae Commissionis non solum supponitur, immo implicite affirmatur iam iure ante responsiones vigente agnita esse loca exclusive ad unum ritum pertinentia, sed etiam sustinetur sententiam talium locorum existentiam affirmantem fuisse omnino certam. Qui vero sententiae contrariae a R. P. Galtier propositae adhaerebant, hanc saltem probabilem habebant. Idcirco propter canonem 15 Codicis I. C. concluserunt propriam sententiam saltem in praxi servandam esse [11].

Tale autem non fuisse iudicium legis latoris ex Responso II clare manifestatur. Et iure quidem, ut patet ei qui rem attente considerat. Nam in hoc canone agitur de dubio obiectivo, i. e. de dubio quod « fundatur in re », non de illo quod « absque fundamento... menti inhaeret » [12]; seu « si post diligentem investigationem lex vere dubia apparet » [13], clarius: « quando non-extensio

---

[9] G. Michiels, *Normae Generales Juris Canonici*, t. I, ed. 2, Parisiis - Tornaci - Romae 1949, p. 479.

[10] Nolumus hic decidere utrum can. 209 Codicis I. C. in hoc casu applicari possit an secus, quod requireret accuratiorem investigationem.

[11] « Leges, etiam irritantes et inhabilitantes in dubio iuris non urgent ».

[12] Cicognani-Staffa, *Commentarium ad librum primum C. I. C.*, t. I, Romae 1939, p. 237.

[13] A. van Hove, *De Legibus ecclesiasticis*, Mechliniae - Romae, 1930, n. 230, p. 235.

legis certe vigentis ad casum determinatum, vel non-existentia ipsius legis est..... *invincibiliter dubia seu incerta*, ita scilicet ut dubium positivum post diligens examen neque speculative neque practice solvi queat, seu *finaliter* remaneat postquam, ut ad *veritatem* vel saltem ad certitudinem *practicam* perveniatur, frustra exhausta fuerunt *omnia subsidia* ordinaria, *sive directa... sive etiam indirecta...* » [14]. Quod comprobatur etiam ex praxi. Non enim sufficit ut unus alterve canonista sententiam suam depromat ut sermo esse possit de dubio obiectivo, sed postquam multae disquisitiones et discussiones habitae sunt neque solutio certa apparuit [15]. Id vero in casu nostro nullo modo accidit. Nam quaestio tantum ortum habuit, promulgato Motu proprio *Crebrae allatae sunt;* agitur enim de interpretatione can. 86 § 1, n. 2 ubi Hierarchae et parocho adtribuitur facultas assistendi matrimonio « infra fines dumtaxat sui territorii ». Porro paucissimi canonistae tantum dubium discusserunt neque ullo modo affirmari potest « frustra exhausta esse omnia subsidia ordinaria, sive directa sive indirecta », eo vel magis quod tempore opportuno ipsa Commissio Pontificia ad redigendum Codicem Iuris Canonici Orientalis decreto suo authentico hanc quaestionem num dirimit.

Aemilius Herman S. I.

---

[14] Michiels, loc. cit., p. 425 s.

[15] Ita ex matrimonio valido duorum non baptizatorum vel baptizati cum non baptizato practice non exsurgit impedimentum matrimoniale affinitatis de quo in canone 1077 quia obiective dubium est num huiusmodi matrimonium veniat sub nomine matrimonii rati, quod in canone 97 § 1 dicitur necessarium huius impedimenti fundamentum, cf. Michiels, loc. cit. p. 420. Ex altera parte licet non pauci auctores id admitterent, nihilominus plures veram probabilitatem negaverunt sententiae qua ante Codicem I. C. censuerunt ignorantiam impedimenti criminis efficere ut contrahentes ab hoc impedimento immunes essent, cum haberet indolem poenalem, cf. Wernz-Vidal, *De Matrimonio*, ed. 2a, Romae 1928, n. 326, p. 385.

JURISPRUDENTIA
S. ROMANÆ ROTÆ

Coram R. P. D. Pericle Felici Ponente

Nullitatis matrimonii

(*Ob amentiam uxoris*)

Die 26 februarii 1952

SPECIES FACTI

Famulabatur familiae cuidam diviti Catharina et vaporalibus curriculis erat intentus Dioscurus, praesentis causae actor, cum in loco utrique natali sese cognoverunt et ad sponsalia devenerunt. Amor vehemens, qui in corde Dioscuri fervebat, et consuetudo non adeo frequens inter iuvenes (Catharina famula erat et Dioscurus durantibus sponsalibus multum tempus, militiae causa, abesse debuit, fecerunt ut Dioscurus non bene cognosceret indolem Catharinae aliquatenus abnormem neque acquiesceret consiliis eorum qui matrimonium tale dissuadebant: arrepta quinimo occasione cum ea aliquando concubuit.

Nuptiae celebratae sunt in ecclesia paroeciali et coniugalis convictus instauratus est. Quindecim post nuptias diebus Dioscurus castra petiit et quando, post septem menses, in patriam rediit, invenit uxorem mente alienatam, ut etiam dixerunt, inter alios, Prof. Achilles et Prof. Hercules qui ultimus mulierem per hebdomadam detinuit in clinica nervorum morbis curandis, conclusitque eam morbo schizophrenico laborare. A clinica dimissa, quia periculosa habita non est, mulier apud suos mansit, sed vergente anno debuit in manicomium suae provinciae mitti, ubi aliquot menses degit. Iterum dimissa, haud sana sed ita ut in familia vivere sub cura peculiari valeret, ibi versata est: interea vir stipendia extra patriam merebat.

Exacto militiae tempore, Dioscurus ad suos reversus est, at, ingravescente insania uxoris, numquam coniugalem restituit convictum, quamvis haud semel uxorem inviseret penes propriam familiam degentem. Paulo post Catharina iterum in manicomio recludi debuit, ubi in praesentem versatur diem.

Quinque annis a nuptiis transactis Dioscurus supplicem libellum tribunali suae dioeceseos porrexit petens ut nullitas sui matrimonii ob amentiam uxoris declararetur. Praemisso processiculo informativo, interdictionis decretum in conventam latum est assignatusque est curator dominus Exsuperantius. Sententia primi gradus actoris favit votis: at appellante ad N. S. T. Vinculi Defensore, causa denuo tractanda est sueto sub dubio: An constet de nullitate matrimonii in casu.

2. - Scriptum legimus apud Gasparri: « Ad consensum contractualem in genere et matrimonialem in specie necessarium esse usum rationis, qui septennio completo adesse solet, palam est. At non sufficit usus rationis simpliciter, requiritur discretio seu maturitas iudicii contractui proportionata, ita ut contrahens naturam et vim contractus intelligere possit: secus in eundem consentire nequit » (*De matrim.* II, 783: cfr. etiam S. R. R. in *Detroiten.*, d. 16 decembris 1943 c. *Jullien*): aliis verbis, etsi respuenda sit sententia eorum qui falso opinantur requiri ad valorem consensus matrimonialis aestimationem seu appretiationem, per peculiarem quidem psychicam facultatem factam, valoris ethici socialis et religiosi nuptiarum (cfr. S. R. R., Null. Matr., d. 25 febr. 1941 c. *Wynen;* cfr. etiam P. Felici, *Annotationes in Allocutiones Summi Pont. ad Praelatos Auditores etc. S. R. R.*, in *Apollinaris*, 1942, p. 207): exigitur tamen ut contrahens, momento nuptiarum, sciat matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem filiorum procreandorum causa. Haec quidem discretio ante pubertatem non praesumitur, sed validis probanda est argumentis: post vero adeptam pubertatem praesumitur et nonnisi validis excluditur argumentis (cfr. can. 1082 § 1, 2; cfr. etiam S. C. Conc. in *Ventimilien.*, *Matrimonii*, d. 19 mai 1888).

3. - Sed disceptatur in praesenti causa, an eiusmodi discretione gaudeant ii qui affecti sunt dementia praecoci, et quidem non in periodo terminali, ut dicitur (nam tales dementes incapaces esse consensus palam est), sed in periodo status, illa scilicet periodo, in qua aegrotus post invasionem morbi sanus apparere potest multis, atque in primis comparti contrahenti, quae secus nuptias esset contractura numquam.

Qua de re affirmandum est cum peritis dementiam praecocem, variis quidem nominibus designatam variisque formis descriptam: (nomen dementiae praecocis invexit primus Kraepelin, qui eam in tres formas divisit *ebephrenicam*, *catatonicam* et *paranoidem*: Bleuler praetulit nomen *schizophreniae*, quod tamen improprium dicit Mòglie: Tanzi-Lugaro locuti sunt pressius de *dementia schizophrenica:* alii denique de syndrome *ebephrenocatatonica*); dementiam igitur praecocem notam sui propriam habere dissociationem psychicam seu mentalem quae « colpisce i meccanismi del pensiero, degli affetti e degli atti, come è sopratutto manifesta nella condotta che è appunto l'epilogo perenne di tutto ciò che si pensa e si sente, sia pure in modo confuso e contradittorio... Perciò il sintomo più impressionante e complessivo della demenza precoce è la *stolidità della*

condotta. Non di rado c'è uno strano contrasto tra la manifesta lucidità dell'ammalato e il suo contegno puerile, futile, grossolanamente incoerente e contradittorio » (TANZI-LUGARO, *Malattie mentali*, Milano 1923, II, 468; cfr. anche MÒGLIE, *Manuale di psichiatria*, Roma, 1940, 471).

Ex hac idearum dissociatione sequitur, ut facile conicere est, imminutio vel etiam destructio activitatis liberae voluntatis: haec autem contingit bifariam: « da un lato con l'indirizzo generale della condotta, dall'altra con estrinsecazioni isolate ed anche ripetute, ma non continue, di automatismo morboso, di cui il malato ha quasi sempre coscienza e ricordo. Il contegno generale è alterato o per passività o per l'insorgenza di resistenze attive o di reazioni antagoniste che conducono alla catatonia e al negativismo. Quanto agli atti isolati o intermittenti di stolidezza, sono innumerevoli e tuttavia così caratteristici che molti di essi hanno ricevuto un nome » (TANZI-LUGARO, op. cit. 468). Hinc *anaffectivitas*, *atimia* (quam CERLETTI habet praecipuam totius syndromis perturbationem), *apathia* seu « assenteismo da ogni interessamento per le persone, per le cose, per se stesso » (MÒGLIE, op. cit. 473), *passivitas* « che fa degenerare l'atto volitivo in un automatismo servile all'influenzamento di stimoli anche i più bizzarri e all'imposizione di atteggiamenti della persona i più assurdi e irragionevoli » (MÒGLIE, ib.): hinc *catatonia* et *stupor catatonicus*, *echopraxia*, *echolalia*, *echomimia*, *neolalia*, *pseudolalia*, *stereotypia*, *impedimentum* (inceppamento) *motorium*, *repetitio sonora cogitationum*, *ideae obsidentes*, *alucinationes* et *pseudoalucinationes*, *delirium hypocondriacum* et *paranoicum*, denique *impulsio* « che per il brusco e imprevedibile modo di insorgere rende talvolta il demente precoce pericolosissimo: - sono impulsi a ridere scioccamente, a smorfie le più irragionevoli e puerili, ad atti fulminei di violenza contro se stessi, le persone e gli oggetti, a insensate esplosioni verbali, a fughe senza motivo, senza scopo, senza alcun elemento di previdenza. Di questi atti il paziente generalmente conserva il ricordo ma non sa dirne la ragione, né è capace di risentirne alcuna commozione » (MÒGLIE, op. cit. 474; cfr. TANZI-LUGARO, op. cit. II, 474 sqq.).

Paucis: nota praecipua dementiae praecocis stat in progredienti mentis ruina quae praesertim afficit sphaeram affectuum et voluntatis sed plerumque diu integram relinquit memoriam et facultatem perceptivam. Inde aegrotus, mundi externi conversatione veluti prohibitus, in quendam statum confugit quem BLEUER *automatismum* (*das autistische Denken*) appellat et similem dixeris somnio (ita JUNG et MAEDER) quo aegrotus sibi intimum effingat, ubi iugiter versetur, mundum (cfr. P. FELICI, *Summa psychoanalyseos lineamenta*, Gabiniani 1937, 55).

4. - Dementia praecox originem et decursum habet longe varios, ita ut diagnosis fieri possit tantum (quibusdam scilicet in casibus) cum morbus est in phasi conclusiva. Ita TANZI-LUGARO: « L'inizio è per lo più graduale, a volte con note di demenza semplice, a volte con cambiamenti di umore, allucinazioni viscerali, idee ipocondriache che cadono facilmente nel paradosso, vaghe idee di persecuzione, sospetti indefiniti, ansie immotivate, acusmi o voci allucinatorie confuse, fantasticherie incoerenti ecc... Alle volte si hanno di tratto in tratto fatti isolati di eccitabilità morbosa o si manifesta un cambiamento di carattere nel senso dell'apatia... Qualche volta domina su tutto la nota della insensibilità morale (eboidofrenia di Kahlbaum)... La natura morbosa di questi atti che sulle prime possono apparire il frutto di un cattivo carattere appare più tardi, quando si svolgono in modo chiaro sindromi più complesse. I sintomi prodromici talvolta passano inavvertiti » (op. cit. 513). Haud raro synthemata prodromica confunduntur cum morbis benignioribus, ut psychasthenia, hysteria et epilepsia: circa quam adnotant peculiariter TANZI-LUGARO: « C'è una notevole affinità di sintomi fra certe crisi di agitazione catatonica e gli equivalenti psichici a tipo crepuscolare dell'epilessia: la diagnosi che sul primo momento appare dubbia si chiarisce con l'anamnesi e con l'osservazione continuata » (op. cit. 520).

5. - Potest dementia praecox mitigari et remitti, at sanari vix unquam: « La prognosi della schizofrenia, specialmente quando rientri in pieno nei quadri della demenza e delle sue varietà cliniche, è generalmente infausta; vi sono tuttavia casi in cui si può avere una remissione che molto assomiglia alla guarigione, e altri in cui si osserva un arresto della sua evoluzione e quindi una regressione dei sintomi più caratteristici, compresi quelli demenziali, sino ad un miglioramento conciliabile con un ritorno alla vita sociale in forma più o meno ridotta, ed in tal caso si tratta appunto, come vuole il Tanzi, di guarigione sociale e di guarigione con difetto » (MÒGLIE, op. cit. 491). Revera TANZI-LUGARO admittunt cum KRAEPELIN, BLEULER aliisque, casus, rarissimos quidem, perfectae sanationis (op. cit. II, 518): animadvertunt tamen: « E' difficile giudicare il grado di miglioramento e la completezza della guarigione. Certi sintomi possono essere dissimulati o sfuggire all'attenzione ». (op. cit. II, 540).

6. - His expositis, concludendum est mentis discretionem, quae contrahendis nuptiis satis sit, esse negandam non solum in iis qui dementia praecoci in phasi terminali seu conclusiva torquentur, sed etiam in illis aegrotis, qui dementia iam invasi, dissociatione psychica seu mentali laborant, ob quam, licet videri possint sani vel

etiam tantum abnormes et cerebrosi, impediuntur tamen et recte intelligere et velle cum libertate. Huc faciunt verba aptissima unius S. R. R., scilicet *Detroiten.*, Null. matr. d. 16 decembris 1943 c. *Jullien*: « Nonnulli eiusmodi morbi cum evoluti sunt, quin lucida intervalla concedant, non impediunt tamen quominus mentecaptus aliquamdiu externam integritatis speciem retineat, suis negotiis vacet apteque agere videatur: id quidem vi physicae incitationis seu naturalium facilitatis atque firmitatis, quas parit excitatio praeterita vel habitus, uti iam veteres observabant: ' Saepe enim furiosi sunt constituti in conspectu quietis umbratae, nec tamen sunt mentis sanae, licet videantur ' (Gl. in cap. *Dilectus*, n. 24, X, De sponsal. IV, 1, v. Furore, post Dig. XLI, 2, De acquirenda vel amittenda possessione, I, 18, 1) » et citantur Rotales decisiones *Quebecen.* Null. matr., d. 23 dec. 1918 c. *Sincero*: *Taurinen.*, Null. matr., d. 17 aug. 1922 c. *Prior*: tandem Null. matr., d. 30 apr. 1935 c. *Morano.*

7. - Circa lucida intervalla dementiae praecocis caute dicendum est, praesertim si synthemata ad intervalla sese excipientia graviora semper resultent et tandem aliquando in apertam confluant dementiam. Scribebat Sanchez: « Cum amentiae vel furoris morbus suapte natura perpetuus insanabilis ac desperatus sit, praesumitur durare omni tempore et illa lucida intervalla sunt per accidens ideoque minime praesumuntur » (*De sancto matr. sacram.*, lib. VII, dip. 8, n. 17). Notat in sensum eundem Chelodi: « Lucida, uti aiunt, intervalla, non sunt facile admittenda, quia amentia natura sua est morbus perpetuus et insanabilis... » (*Jus canon.*, 1947, 109): item Gasparri, op. cit. II, 785: Cappello, *De matr.* 539: S. R. R. in *Buscoducen.*, Null. matrim., d. 15 mai 1915 c. *Prior*: Null. matr., d. 8 apr. 1924 et 8 aug. 1931 c. *Mannucci*: *Limburgen.*, d. 1 martii 1930 et *Parisien.*, d. 13 ian. 1938 c. *Wynen*: Null. matr., d. 18 iulii 1941 c. *Heard*: Null. matr., d. 24 iulii 1941 c. *Janasik.*

Excipit quidem S. R. R. in *Versalien.*, Null. matr., d. 3 iunii 1939 c. *Wynen*: « Quando vero in habitualiter amentibus agitur de longioribus intervallis, in quibus infirmi omnino sui compotes apparent et sicut ceteri homines sani loquuntur et operantur, defectus usus rationis saltem non ea certitudine sustineri potest, quae requiritur ad nullum declarandum consensum matrimonialem durante eiusmodi periodo positum ». Attamen saltem quod spectat dementiam praecocem, quae in phasem terminalem sensim progreditur, eiusmodi lucida intervalla difficile admittuntur et quae lucida intervalla videntur sunt saepius morbi remissiones « nelle quali l'estensione e l'intensità di tutti o di parte dei sintomi di una malattia mentale possono attenuarsi, pur rimanendo invariato il nucleo fondamentale della medesima » (Mingazzini, *Saggi di perizie psi-*

chiatriche, 252): nucleus autem fundamentalis dementiae praecocis, uti vidimus, est dissociatio psychica, quacum haud componi potest discretio ad emittendum validum consensum matrimonialem requisita.

Utcumque prae oculis habeatur principium ab E.mo Gasparri enuntiatum et acceptatum in una *Parisien.*, Null. matr., d. 13 ianuarii 1938 c. ipso *Wynen*: « Perpendendae sunt omnes casus circumstantiae: si, omnibus consideratis, intervallum adeo lucidum fuerit et intervallum adeo longum ut consensus matrimonialis sit certus, standum est pro consensus validitate, secus pro nullitate. Quod si amentia fuerit temporanea et peritorum iudicio penitus cessaverit, valet matrimonium antea vel postea celebratum » (op. cit. II, 785).

8. - Quantum in his decernendis valeat peritorum auctoritas, talibus Zacchiae ostenditur verbis: « Quam multa sint, quae circa hanc materiam de dementia a medicis requirere iuris consulti consuescant, notius ipsis est, quam ut a me longioribus demonstrari possit. Cum enim has passiones soli medici cognoscant... nec praeter rem sancitum est in l. *Semel*, c. *de re incl.*, morbum probari per medicos curae inservientes, unde ipsis solis creditur, cum dubitatur an testator furiosus vel demens fuerit necne » (*Quaestiones medico-legales*, lib. II, tit. 1, de *dementia*). Verumtamen non peritorum est iudicium et sententiam ferre, sed iudicum, qui proinde, praeter medicorum conclusiones, omnia examinabunt adiuncta sive personarum sive rerum et congruam dabunt testibus fidem. Quocirca legimus in una *Vicar. Ap. Chan-si sept.*, Null. Matr., d. 29 iunii 1923 c. *Florczak*: « Si de insania directe constare nequit, ad signa recurrendum est atque admitti possunt testes singulares singularitate adminiculativa, qui deponant de actibus diversis quidem sed mutuo sese adiuvantibus ad probandum idem factum genericum (cfr. Mascardus, De probat., concl. 503, n. 3 dementia: *Reiffenstuel*, Jus can. lib. II, tit. 20, n. 297 sqq.: *S. R. R.*, Null. Matr., 23 dec. 1909) ».

IN FACTO

9. - Conventam, de cuius insania disputatur, gravi dementia praecoci esse hodie affectam constat luculenter ex chartula clinica manicomii, ubi in praesentem diem ea degit, absque ulla spe, saltem apparenti, sanationis. Item certum est prima synthemata huius morbi perspicua dedisse conventam septem circiter mensibus a nuptiis initis, cum nempe per hebdomadam degit in clinica nervorum morbis curandis, ex qua dimissa est « senza miglioramento (ma non pericolosa) »: at quaestionis est utrum die celebrati matrimonii conventa eiusmodi morbo ita laboraret ut consensum validum emittere nequiret.

Peritus in prima instantia accitus, nempe doct. Sulpicius, Prodirector nosocomii neuropsychiatrici, ubi conventa degit, omnibus actis diligenter examinatis atque inspecta, ad normam medicae artis, conventa, in hanc venit conclusionem: « che la signora Caterina, prima del matrimonio era affetta da demenza precoce ebefrenica: doversi ritenere con certezza morale che al momento del matrimonio le sue condizioni di mente non erano tali da consentirle la emissione di un valido consenso matrimoniale, con comprensione dei diritti e dei doveri che ne derivano ». Peritior a N. S. T. designatus in eandem ipsam devenit conclusionem. Quam utramque plene concordem esse acceptandam multis patet argumentis.

10. - Porro signa et notae dementiae praecocis, quae in iure descripsimus, detecta sunt plurima, ante ipsas nuptias, in conventa, atque eo gràviora quo magis nuptiae propinquabant.

Ita actor in libello: « Durante il fidanzamento notai che Caterina aveva a volte improvvisi scatti d'ira e a volte prorompeva in risate senza alcuna ragione: notai anche che talora il suo sguardo era molto strano e i suoi occhi erano come sbarrati: la Caterina inoltre aveva un comportamento da bambina: toccava quel che non doveva toccare, si sporcava ecc. »: in depositione autem iurata addit Catharinam, in ipsa periodo sponsalium « venendo tardi agli appuntamenti più che portare ragioni si metteva a ridere. Quando la padrona la rimproverava si metteva a piangere. Andando insieme a passeggio, pur essendo vestita per benino, si poneva a sedere sui margini impolverati della strada, dava calci ai sassi, come una bambina ». Paucis diebus ante nuptias idem actor nactus est Catharinam « più decisa ed impacciata. Non si rendeva conto delle spese che facevamo per lei. Essa un giorno disse a mia sorella che non le importavano. Mia madre arrivò a dirmi: « Figlio mio sta attento, che Caterina mi sembra mezza scema ». Reapse Catharina apparebat sponso « priva di iniziativa e non contradiceva. Era sottomessa come una bambina ». Sed quaeri potest curnam Dioscurus qui talia observabat et a matrimonio tali absterrebatur, in idem tandem consenserit. Respondet ipse Dioscurus: « Io non diedi peso a tutto ciò perchè lo attribuivo alla sua giovane età e al suo carattere da bambina. Inoltre non ebbi molte occasioni di controllarla e di osservarla poichè, essendo essa domestica, potevamo vederci solo la domenica: nel 1941 poi fui richiamato e quindi vissi lontano da lei »: denique, et hoc praetereundum non est, Dioscurus vehementissimo sponsam prosequebatur amore et amor, uti scimus, caecus est. Ast oculos aperuit Dioscurus in ipso itinere nuptiali, in quo conventa « dava segni di strambezza, accusava dolori di testa, mostrava indifferenza a proseguire il viaggio » adeo ut vir debuerit

iter intercipere et domum remeare « per timore di qualche brutta sorpresa ». Viro vix non statim militiae causa profecto atque uxori saepius scribenti Catharina « rispondeva con ritardo ed irregolarità, malgrado le sollecitazioni di sua madre » nec dabat notitias quas vir frequenter requirebat: quando denique vir in patriam, commeatus causa, reversus est, vidit uxorem « molto cambiata, a qua vix agnitus est: « stentò quasi a riconoscermi »: inde morbus indubie apparere coepit et nondum quinque menses a nuptiis elapsi erant. Paulo post, duobus scilicet aliis mensibus expletis, novo obtento commeatu ob uxoris aegritudinem, Dioscurus duxit Catharinam ad Prof. Achillem: « questi, senza visitare Caterina, ma solo guardandola, mi disse crudamente: Questa non guarisce: è schizofrenica! Te lo dico alla sua presenza, intanto essa non se ne rende conto ».

Testis Sosthenes, penes quem conventa famulatum praestitit, ante nuptias, duos circiter annos, deponit: « Il suo lavoro aveva qualche distrazione e a volte qualche gesto o mossa non bene spiegabile con la sua età, per non dire puerile. Essa era calma e remissiva. Io non poteva mai immaginare che un giorno avesse fatto una così triste fine... E' mia impressione che la ragazza in prossimità delle nozze non avesse tanto entusiasmo e andasse avanti, come se fosse spinta, priva di volontà... Il matrimonio fu celebrato... Dopo qualche tempo, che non saprei precisare, Caterina si sentì malata. Ben volentieri l'accogliemmo in casa nostra. Costatai un vero tracollo: lo sguardo era incerto, la donna era assai trascurata nella sua persona ». Huius testis uxor confirmat Catharinam se exhibuisse semper « donna senza iniziativa e senza pensieri » atque dominae hanc apathiam et passivitatem increpanti, eo praesertim quod nuptiae propinquarent, « essa rispondeva ridendo ». Atque adicit: « Essa era una bambinona. Per esser precisa aggiungo che col passar del tempo Caterina aveva degli strani atteggiamenti poco spiegabili in una persona normale: a volte mi guardava senza una ragione, metteva il dito in bocca volteggiando la testa: si metteva le mani sul capo: però non davo peso a questo e ad altri atteggiamenti e non mancavo talvolta di osservare alla ragazza: quanto sei sciocca ». Quando paulo post nuptias testis iterum recepit domi antiquam ancillam, animadvertit « che effettivamente era una pazza ».

Testis Paulus, qui nuptiis adstitit uti avunculus actoris, vidit durante celebratione « una certa fatuità nell'agire della sposa »: testi Marcellae « fece impressione il fatto che durante la scelta dei vestiti per il matrimonio lei era indifferentissima »; testi vero Annae, matri actoris « che era un pò sciocca, giacchè anzichè lavorare, preferiva giocare come una bambina piccola: e durante il matri-

monio ora rideva ora piangeva senza ragione ». Adicit testis Aloisia soror actoris se quaesivisse aliquando a conventa, durantibus sponsalibus « perchè non scrivesse Dioscuro, minacciandola anche della rottura del fidanzamento da parte di mio fratello »: conventam autem respondisse « di aver iniziato a scrivere ma che stanca smise dopo aver gettato il calamaio a terra ». Denique testis Sulpicia quae habuit conventam uti ancillam per annos quinque (scilicet antequam familiam Sosthenis adiret), deponit conventam accessibus saltem specie epilepticis, durante famulatu, correptam fuisse, adeo ut, suggerente doctore familiae, eam e famulatu dimiserit atque de re monuerit sponsum, qui tamen « non diede importanza a quanto dissi ». Quod superest, Catharinam ad nuptias passive atque veluti tractam accessisse, cum teste Sulpicio alii plures confirmant.

Multa igitur signa et indicia perspiciuntur quae, attenta quoque apertissima explosione morbi paulo post initas nuptias, in certitudinem inducunt conventam tempore ipso contractus matrimonialis dementia laborasse praecoci atque tali dissociatione mentis ut capax non esset discernendi et assumendi obligationes matrimoniales: stupiditas, puerilitas, passivitas, impulsio, apathia atque atimia quam in loquendo et in agendo multifariam ostendit atque, uti diximus, in dies maiorem prout nuptiae propinquabant, incapacitatem recte intelligendi et contrahendi satis demonstrant superque.

11. - Obici posset conventam dedisse consensum nuptialem in lucido intervallo. Sed respondet peritior: « Dobbiamo anzitutto osservare che in questo caso si sarebbe dovuta avere una totale reintegrazione delle facoltà mentali e non una semplice apparenza di reintegrazione psichica, con espressioni solo apparenti di ordine, di tranquillità, di contegno corretto, mentre non erano effettivamente scomparsi quei complessi ideativi, quelle deformazioni del pensiero e dei sentimenti che sono la sostanza della malattia mentale. In secondo luogo la malattia avrebbe dovuto manifestarsi con una sosta di sintomi, mentre abbiamo visto che *essi si sono aggravati proprio al tempo del matrimonio e dopo* ».

Negotium pariter non facessit, post ea quae in iure fudimus, quod neque sponsus neque alii cognoverint ante nuptias gravem morbum conventae. Animadvertit insuper peritior: « Sta il fatto che particolarmente nella varietà semplice della demenza precoce, mentre il pensiero sempre più si disgrega e il soggetto ogni giorno maggiormente perde i contatti con l'ambiente con cui vive, stranamente permangono più o meno intatte alcune funzioni psichiche, a creare parvenza di vita mentale, illusioni di atti ragionevoli. Avviene così che si scambiano per indici di svogliatezza, di pigrizia, di spensieratezza, di eccentricità, di semplice puerilismo molti sin-

tomi della malattia. Solo più tardi, dopo che la malattia è entrata nello stadio terminale e ne sono comparsi i sintomi manifesti, ritornando con la mente al passato, parenti e conoscenti si accorgono che molti fatti ai quali non era stato dato peso furono i primi segni di un male che fatalmente volgeva al suo tragico epilogo ». Id ceterum iam audivimus a TANZI-LUGARO asserentibus: « La natura morbosa di questi atti che sulle prime possono apparire il frutto di un cattivo carattere appare più tardi, quando si svolgono in modo chiaro sindromi più comlesse. I sintomi prodromici passano talvolta inavvertiti » (op. cit. II, 513).

Non est pariter admittenda exceptio egregii Defensoris Vinculi, conventam scilicet ante nuptias morbo epileptico laborasse et tantum post eas dementia praecoci correptam fuisse: nam praeter quam quod multa alia signa ante nuptias apparuerunt dementiae praecocis manifestativa, ipsa epilepsia consideranda est ut synthema dementiae praecocis, quae mentem Catharinae iam turbaverat, iuxta ea quae in iure audivimus ex TANZI-LUGARO (op. cit. II, 520).

12. - Concludi igitur potest iure merito cum peritiore: « La Signora Caterina attualmente è affetta da schizofrenia (vel etiam dementia praecoci): all'epoca del matrimonio tale malattia si trovava nel periodo di stato: è da ritenersi scientificamente certo che la disgregazione mentale della Caterina, quando contrasse il matrimonio col sig. Dioscuro era di tale grado da togliere la capacità di intendere e di volere e quindi di emettere un valido consenso matrimoniale ».

Quibus omnibus tam in iure quam in facto rite perpensis et examinatis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus: Constare de nullitate matrimonii in casu, seu ad propositum dubium respondemus: *Affirmative.*

Ita pronuntiamus etc. (*omissis*).

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

AMBITUS IMPEDIMENTI MIXTAE RELIGIONIS (c. 1060)

Ego et uxor mea, ait Silvanus, sumus boni christiani, sed nulli adscripti sumus ecclesiae aut sectae, neque catholicae neque protestanticae neque alii cuivis. Tamen veneratione et respectu prosequor Iesum Christum et propterea volo baptizare filiam meam modo natam.

Obstetrix catholica, quae audit Silvanum haec loquentem, attente aspicit quae ipse facit. Videt patrem rite infundere aquam, quae in capite puellae fluit, et audit eum voce clara et solemni, in lingua vernacula proferre haec verba: Anna, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Vide, inquit postea Silvanus, perspiciens obstetricem aliqualiter manifestare admirationem, baptismus quem Christus instituit nequit umquam nocere; imo, si verum esset quod vos catholici creditis, forsitan proderit infanti si, quod contingere potest, moriatur ante septimum annum. Obstetrix factum enarrat parocho, qui rem notat in aliquo folio privato cum subscriptione etiam obstetricis et illud deponit in archivum paroeciae. Cum Anna 20^{um} aetatis annum attingit, Paschalis catholicus eam ducere cupit. Parocho roganti Anna respondet: parentes mei dicunt me esse baptizatam. Ego eis credo. Sed numquam fui alicui ecclesiae adscripta; numquam visitavi ecclesiam protestanticam; aliquando ingressa sum ecclesiam catholicam, simul cum Paschale. Quandoque domi legi evangelia; nescio utrum omnia vera sint quae ibi narrantur; verba Iesu me commovent et aliquando ad Deum preces fudi.

Parochus hic et inde notitias colligit de religione Silvani et eius familiae. Omnes dicunt: sunt homines boni et honesti; sed nullam habent religionem. In registris civilibus apparent inscripti tamquam: ad nullam pertinentes ecclesiam.

Parochus casum discutit cum suis vicariis. Unus eorum, qui studiis vacavit iuris canonici ait: mihi videtur quod non possumus negare assistentiam huic matrimonio. In can. 1035 statuitur: « omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur ». Haec autem norma nullum alium habere potest sensum nisi: qui iure non prohibentur seu qui non prohibentur aliquo impedimento sive absoluto sive relativo, possunt contrahere matrimonium cum persona quacum contrahere desiderant: et parocho non licet hoc impedire negando assistentiam necessariam secundum canones. Si ergo tu non potes indicare aliquod impedimentum sive proprie dictum sive improprie dictum neque aliquid aliud quo ad normam sacrorum canonum debes recurrere ad S. Sedem aut ad Ordinarium,

e. g. quia agitur de publico peccatore aut de persona vaga, tu habes obligationem assistendi.

Auditis verbis: *peccatore publico*, parochus potius per modum obiectionis vicario opponit Annam saltem iuridice esse publicam peccatricem, quia est baptizata et baptismi obligationes non adimplet. Sed tamquam folium quod vento rapitur haec obiectio amovetur a vicario respondente quod Anna primo non est peccatrix sed puella honesta, adimplens obligationes quibus se teneri bona fide putat; quamvis erret in pluribus in quibus tamen multi errant. Secundo, dato non concesso eam esse peccatricem, ipsa tamen evidenter non est peccatrix *publica*, quia fere nemo scit eam esse baptizatam.

Sed ratio, quae proprie et quasi instinctive parochum deterret ab assistentia, est alia, quam proponit et probare coepit dicens: agitur de matrimonio mixto; ergo iure prohibito.

Hoe, hoe, exclamat vicarius, quae asseris, non mihi videntur vera. Codex non dicit *matrimonium mixtum* esse illicitum, sed aliis utitur verbis. Lege canonem 1060. « Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta ». Quomodo potes probare Annam esse sectae haereticae aut schismaticae adscriptam? Ipsa numquam ad aliquam ecclesiam vel sectam pertinuit, neque ipsa se voluit neque parentes unquam eam voluerunt adscribere aut saltem implicite, scilicet baptismo, eam alicui ecclesiae adscripserunt. Baptismi collatio sane *fere* semper est saltem implicita adscriptio alicui ecclesiae aut sectae christianae. Sed proprie casus noster constituit exceptionem ab hac regula.

Parochus nescit statim respondere ad hanc assertionem, quin tamen cesset dubitare graviter de veritate sententiae sui vicarii.

Quaeritur: utrum parochus possit licite assistere ad matrimonium Paschalis et Annae, quin prius petatur et obtineatur dispensatio in impedimento mixtae religionis?

Vicarius recte citavit canonem 1060 sed non recte illum interpretatus est. Circa sensum huius canonis praeprimis adnotare debemus quod adscriptio sectae haereticae, de qua est sermo, non restringitur ad adscriptionem *formalem* et actu personali factam, qua quis libere aut fit aut remanet membrum alicuius ecclesiae vel sectae ut societatis seu organisationis externae. Etiam solo baptismate recepto aliquis adscribitur alicui ecclesiae vel sectae, etsi desit formalis intentio adscribendi. Quapropter pueri baptizati communiter solo baptismate sunt adscripti ecclesiae vel sectae ad quam pertinent parentes. Si ratio, qua aliquis puerum offert baptizandum vel qua adultus se offert ad recipiendum baptismum, sit quia confitetur

religionem seu doctrinam, qua membra alicuius determinatae sectae confitentur, persona baptizata fit huic sectae adscripta.

Nec postea potest mero actu voluntatis revocare et sic infectam reddere hanc adscriptionem, ita ut iuridice non amplius sit sectae haereticae adscripta. Qui semel baptismate adscriptus est sectae haereticae aut schismaticae, sola conversione ad Ecclesiam catholicam et errorum abiuratione coram hac Ecclesia facta, efficere potest ut non amplius sit sectae alicui adscriptus. Totus legis sensus et finis requirunt hanc interpretationem. Secus enim fieri posset ut Caia, in secta calvinistica baptizata et nunc cupiens contrahere matrimonium cum Paulo catholico, mera voluntate et mediis quae ad libitum adhiberi possunt, mediis scilicet administrativis, posset se subtrahere ab impedimento mixtae religionis. Ipsa posset, saltem pro hoc momento, renuntiare suae adscriptioni ad sectam et fieri, ut vocant, a-confessionalis, sed baptizata, quo fieret ut non sit comprehensa sub terminis legis, quae statuit impedimentum mixtae religionis.

Sane, legislator non absque ratione praeelegit verba: « (persona) *sectae haereticae adscripta* » et evitavit verba « (persona) *haeretica* vel schismatica » aut « *non catholica* ». Huiusmodi autem rei ratio est quia haeresis potest esse mere interna aut occulta. Acatholicus autem etiam comprehendit apostatas a fide. Praecipue tempore quo lex est orta, difficile erat discernere utrum aliquis qui ad haeresim erat propensus iam fuerit haereticus in sensu iuridico. Quare legislator tamquam criterium pro impedimento matrimoniali potius constituit factum publicum, scilicet adscriptionem ad sectam haereticam. Sed ex hoc immerito erueretur aliquam adscriptionem semel baptismate vel alio modo contractam posse reddi infectam mera retractione, quin habeatur conversio ad Ecclesiam catholicam.

Quae autem modo dicta sunt supponunt factum adscriptionis ad sectam haereticam habuisse locum. Propterea haec non mere applicari possunt casui nostro. Etenim, Anna numquam adscripta est alicui sectae aut religioni, neque baptismate neque alio actu. Omnino defuit in patre baptizante aliqua etiam implicita ordinatio huius actus ad aliquam ecclesiam vel sectam. Ne pater ipse quidem unquam fuit baptizatus et alicui sectae adscriptus. Nonnisi aliquas vagas et genericas notiones christianas audivit a quodam amico et deinde evangelia legit. Sed etiamsi pater ut puer fuisset baptizatus et sectae cuidam adscriptus, actus quo baptizavit Annam, nullum habuit nexum cum hac adscriptione ideoque non videtur reddidisse baptismi collationem actum quo Anna adscripta est sectae haereticae. Consentiendum igitur videtur assertioni vicarii, quod Anna non fuit unquam neque hodie est sectae haereticae adscripta.

Cavendum tamen est ne ex hoc statim deducamus: ergo non datur impedimentum mixtae religionis et parochus potest licite as-

sistere sicut Paschalis potest licite contrahere. Mea sententia haec conclusio est erronea. Adhibetur hic interpretatio quae peccat contra regulam iuris: « is committit in legem, qui, legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem » (Reg. 88, R. J., in VI°). Casus noster est valde exceptionalis ideoque legislator in statuenda lege et terminologia ad hanc possibilitatem non attendit eamque noluit e lege excludere. Lex est opus humanum et verba electa non sunt semper omnino perfecta. Quamvis canonista qui nimis verba premit aliud dicere posset, videtur tamen nullo dubio obnoxium quod istis verbis prohibetur quodlibet matrimonium inter duas personas baptizatas, quarum una est catholica, i. e. baptismate aut conversione semel Ecclesiae catholicae adscripta, altera vero non catholica seu sive numquam Ecclesiae catholicae uno alterove modo adscripta sive postea sectae haereticae vel schismaticae adscripta.

Hac canonis interpretatione obtinetur, quod videtur esse verus legis sensus, qui fortissime suggeritur a fine legis, scilicet ut quodlibet matrimonium personae catholicae cum persona externe non catholica sit prohibitum, sive impedimento disparitatis cultus, sive impedimento mixtae religionis, sive, quoad apostatas a fide, prohibitione simplici canone 1065 contenta.

Concludendum igitur est Paschalis et Annae matrimonio obstare impedimentum mixtae religionis, ita ut parochus iure negare possit assistentiam et negare eam debet antequam obtenta fuerit dispensatio ab auctoritate competenti.

Utrum autem parochus recte agat curando ut dispensatio obtineatur, dependet a multis circumstantiis. Attendendum est ad necessitatem sustinendi disciplinam salutarem, quae prorsus relaxabitur si prohibitio severissima (can. 1060) reducatur ad urbanam invitationem non ineundi talia matrimonia. Hoc fiet si quilibet qui persistit in sua prava voluntate non obediendi legi obtineret dispensationem. Haec facilitas in dispensando bono communi spirituali Ecclesiae graviter nocere potest. Haec facilitas efficit ut matrimonia mixta in regionibus non catholicis multiplicentur, ut tristis experientia docet. Agitur hic de re quae proprie est prohibita quia mala, non mala quia prohibita. (Vide opus nostrum: Vlaming-Bender, *Praelectiones Iuris Matrimonialis*, p. 146).

L. Bender. O. P.

JURISPRUDENTIA SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS

Haud inutile videtur nonnullas S. R. C. decisiones quae anno 1950 prodiere lectorum considerationi praebere, quibus imploratum indultum concedendum aut praesertim non concedendum varia de causa rescriptum est. Haec generatim in adiunctis ipsis petitionum satis elucet ubi eadem comparentur eum generalibus liturgiae principiis et cum facultatibus specialibus quibus S. C. aucta evincitur a Summo Pontifice. Sed non incongruenter eruitur ex formulis ipsis adhibitis in deneganda aut concedenda gratia, ac praesertim ex responsis Commisionis Liturgicae cui praeliminare studium quaestionum demandatur quoties opportunum ducitur.

Rescripta enimvero non eisdem verbis postulatis obnituntur aut annuunt; sed Sacra Congregatio modo unam modo aliam seligit formulam quae aptior sit ad mentem suam significandam. Hinc omnes norunt quid e. g. per « negative », quid per « non expedire », quid per « non solere concedi » S. C. intendat. Sed mens eius expressius non definitiur nisi in conclusionibus Commissionis Liturgicae, quae argumentis sive historicis sive iuridicis cohonestantur, quaeque si pro merito acceptantur uti motiva concessionis vel denegationis gratiae, clarius indicant S. C. principia quibus eius actio ducitur ideoque iurisprudentiam ipsius pandunt. Quae tamen iurisprudentia non cum eadem certitudine aut definitione apparet in favorabilibus responsis ac in non favorabilibus. In his enim facilius illa depromitur quia evidentius negativa responsa connectuntur cum principiis generalibus sacrae liturgiae; dum in favorabilibus non raro succurrunt rationes occasionales et particulares quae difficilius univocam mentem pandere valent. Id tamen unum velimus interim adnotandum quod sc. S. C., dum saepe necessitatibus succurrere satagit, simul firmiterque urgere leges non negligit saepius precibus obnitendo. Agitur enim fere semper de unitate liturgiae servanda et firmanda, de abusibus praecavendis, de privilegiis non concedendis nisi de publica causa vel utilitate, de dispensationibus denique quae adaequatam rationem praeseferre debent, adaequatam inquam gravitati legum liturgicarum quibus tam intime dogmata et divinus cultus connectuntur.

Videant porro lectores in indultis detrectatis anno 1950 rigorem vigilantiae, unitatis tutelam a Sacra Congregatione exercitam; in favorabilibus vero responsis prudentem ipsius largitatem quae bene componitur cum potestate administrativa Ecclesiae. De favorabilibus rescriptis non multa pro nunc scripsimus quia alia vice de eisdem verbum fiet adaequata adhibita mensura.

1°) Recitatio divini officii lingua vernacula adhibita. (can. 135, can. 610).

a) *Sacerdos* quidam Indianopolitanus exoptabat facultatem adhibendi versionem anglicam in recitatione divini officii, privata de causa. (N. Prot. I, 10/50).

Die 12 septembris 1950, S. C. respondendum censuit: *Negative.*

b) *Moniales* cuiusdam monasterii efflagitabant pariter licentiam utendi versione italica breviarii ad fructuosiorem recitationem obtinendam pro monialibus quae latinam linguam ignorabant. (N. Prot. A, 28/50).

Die 29 martii 1950, S. C. respondit: *Negative.*

Negativum responsum utrique petitioni datum plene intelligitur si consideratur quod neutra ratio, privata devotio sc. vel ignorantia linguae latinae, adaequatam praebet dispensationis et privilegii concessionis causam. Firmior enim praestat unitas vel uniformitas orationis liturgicae et officialis, cui haud opus est textuum intellectione, si recta piisque affectibus fulta recitatio ipsa praebetur; nec aliunde generalis lex, quae unitatem liturgiae latinae tantopere a saeculis corroborat, privatae utilitati vel commoditati subponi potest, quin arbitrium foveri videatur.

Tamen casus recenter adfuit quo ad annum concessa est cuidam sacerdoti Clevelandensi facultas recitandi « tam hebraico quam graeco sermone » psalmos divini officii. N. Prot. C 128/52) Ratio peculiarissimae concessionis videtur quaerenda in adiunctis localibus quae temporaneam exceptionem suadebant pro idiomatibus iam liturgicis iisque classicis, utilitatem fidelibus ipsis forte praeseferentem. Concessio ad annum de cetero satis indicat mentem Ecclesiae praevalentem.

2°) Privilegium mantelleti violacei coloris pro canonicis (c. 409-c. 412).

Exc.mus Ordinarius Italicae Ditionis rogabat S. C. ut canonicis Episcopum comitantibus iam veste violacei coloris indutis, mantelletum eiusdem coloris concederetur, ne cogerentur cooperiri alia veste nigri coloris superposita, minore quam deceret convenientia. (N. prot. C, 71/50).

Die 29 martii 1950 Sacra Congregatio rescribendum iussit: *Non expedire.*

Ratio denegati indulti evidens est, quum honorificum privilegium semper supponat necesse sit meritum personarum aut convenientiam rerum coniunctam cum personarum laude. In casu porro indicato agebatur de simplici decore externo, cui consuli poterat

communibus industriis; quinimmo decor ipse in casu non desiderari supponebatur ex disparitate coloris vestis, quae perdurante ritu liturgico non erat ferenda. Aliud fortasse fuisset responsum, si Exc.mus Episcopus occasione quadam, e. g. saecularis recordationis, ob peculiaria merita personarum et publicam laudem adeptam a capitulo, privilegium efflagitasset vestium praelatorum. Per Breve Apostolicum S. S. probabiliter precibus annuisset.

3°) Lingua vernacula in administratione sacramentorum (c. 733).

Exc.mus Ordinarius facultatem petiit pro suis sacerdotibus utendi in administratione Baptismi et Extremae Unctionis, pro seipso autem in administratione sacramenti Confirmationis, lingua vernacula in particulari Rituali adhibita, (N. prot. P, 45/50).

Die 29 iulii 1950 Sacra Congregatio respondendum decrevit: *Non solere concedi.*

Cum Codex iubet observantiam rituum et caeremoniarum quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur, implicite saltem servari vult linguam in dictis ritualibus libris adhibitam. Huic ordinariae regulae raro omnino derogat, quum uniformitas idiomatis liturgici unitatem ipsius liturgiae magnopere iuvet. Periculum enim mirationis aut erroris popularis non semper abest, praesertim ubi in regione aut ditione exceptio omnino evaderet singularis, non adaequata ratione cohonestata.

Tamen, ipsa formula adhibita, S. C. satis innuit absolutam repugnantiam rei deesse posse alia in hypothesi, ideoque insolitam reputat facultatem si uni Episcopo aut uni dioecesi illa conferenda sit, vel quando adiuncta congruentiam aut moralem necessitatem indulti in casu particularissimo haud suadeant. Tunc remoto scandalo aut periculo erroris, Ecclesia pro sua prudentia, generali legi derogare posset, uniformitatem liturgiae pro certa regione aliunde iuvando.

Iam anno 1947 S. C. approbaverat rituale pro dioecesibus gallicis quo variationes permittebantur gallico sermone concinnatae in textu praevalenter latino, ideoque bilingue rituale invaluit. Recentius Exc.mus Ordinarius quidam Helveticae ditionis, ex propinquitate suae regionis cum Gallia idem privilegium expostulabat (Prot. L. 31/52).

S. C., die 19 mai 1952, pro gratia respondendum censuit.

4°) Missa, privata de causa, ritu ambrosiano extra archidioecesim mediolanensem celebranda. (c. 818).

Monachus quidam O. S. B., qui in Archidioecesi Mediolanensi degens ritum ambrosianum in celebratione Missae adhibuerat, in Helveticam dein translatus regionem a SS. Domino Nostro gratiam

exoptavit, qua ex privata devotione ipsi liceret ritu ambrosiano uti pergere in celebrando sacrosancto Sacrificio extra archidioecesim illam. (N. prot. M, 44/50).

Die 2 maii 1950, Sacra Congregatio respondit: *Negative.*

Petitioni evidenter deerat rationabilis causa, quum leges liturgicae personali et privatae devotioni submitti nequeant. In casu, peculiarissimus ritus territorialiter quidem definitus, personalis fieri nequibat ex utilitate privata; alioquin actum esset de unitate liturgiae, de uniformitate rituum quibus populi pietas ali debet. Confusio magna hinc oriretur, quae gravissime laederet principia liturgica et arbitrium personarum foveret.

5°) Caeremonia professionis religiosae rubricis missae addenda (c. 818).

Moderatrix Generalis cuiusdam Congregationis Sororum indultum exposcebat derogandi Caeremoniali iam adprobato pro suo instituto, quo caeremonia professionis aut renovationis votorum non amplius ante Missae celebrationem fieri deberet, verum infra Missam sc. momento Offertorii. (N. prot. C, 112/50).

Die 8 iulii 1950, Sacra Congregatio respondendum censuit: *Negative.*

Innovatio, aliqualem licet praeseferret opportunitatem, quatenus oblationi liturgicae symbolicam addidisset consecrationem animarum ex professione religiosa, tamen non talis visa est ut severissimo Missae ritui caremonia addi permitteretur, quae minoris momenti esset quaeque nulla intrinseca ratione cum Sacrificio Eucharistico connectebatur. Ecclesia igitur pro more leges urgendas rescripsit quae sacris canonibus sancivit ut unitas cultus praesertim in suprema huius expressione refulgeret.

6°) Facultas loco petrae sacrae utendi, in missae celebratione, linteis cum reliquiis sanctorum seu antimensiis. (c. 822, 823).

Nonnulli Exc.mi Ordinarii, ratione habita difficultatum itinerum, quas sacerdotes regionis experiebantur quum sacrosanctum Missae sacrificium celebrare deberent semel aut bis in dissitis locis pro necessitate fidelium, facultatem a Sancta Sede exposcendam censuerunt, qua dictis sacerdotibus litare liceret non amplius super petram sacram quae incommode trasferri debuisset, verum super linteis speciali ritu benedicendis Reliquiisque munitis, prout in Graecorum antimensiis sacerdotibus illius ritus permittitur. (N. prot. C, 7/50).

Die 26 iunii 1950, Sacra Congragatio tamen respondendum iussit: *Non expedire.*

Haud semel S. C. rogata est ut indultum modo indicatum concederet, at nisi specialissimae occurrerent difficultates, e. g. ordinis militaris etc., precibus obnisa est. (Ita etiam eodem anno sub die 14 iunii). Ratio denegationis satis elucet in necessitate servandi saecularem traditionem, quae historicis et symbolicis rationibus undique fulcitur. Sepulcrum martyrum, prout ab initio adhuc constituit altare, quod de cetero petram « qui Christus est » significare debet reali adaequatoque signo; difficulter proinde Ecclesia indulget « violentam » substitutionem petrae sacrae, cuius religiosa ratio firmata invenitur in tota veneranda traditione. Ratio e contra, quae petitionem cohonestandam suadebat, omnino insufficiens visa est ut Ordinariorum precibus annui posset: gravamen enim non poterat dici abnorme.

De consecratione altarium portalium (c. 1197).

Exc.mus Ordinarius Tridentinus dubium proposuit: « utrum liceat formula breviore uti in consecratione altarium quae fixo modo connectuntur cum stipitibus sed quorum consecratio separatim fiat a stipitibus. (N° prot. T. 53/51).

S. C. die 21 augusti respondendum censuit: « *Nihil impedit altare portatile posse componi quasi esset fixum. Altare consecratum in casu, licet materialiter fixum, est liturgice portatile seu mobile, ideoque potest qiun amittat consecrationem transferri et separari a stipitibus* ».

Responsum S. C. sua ipsa expressa ratione cohonestatur, hinc altare censetur portatile non ex mensura tabulae, neque ex materiali immobilitate, verius ex liturgica cohaerentia cum ecclesia; quare formula brevior licita fit quoties simul cum stipitibus altare non consecratur.

7°) Peculiares facultates concessae aut denegatae circa missas votivas.

a) Moderator Provincialis Congr. Presbyterorum rogavit S. S. ut in sua provincia liceret Missam votivam de Spiritu Sancto prima quaque feria quinta cuiusque mensis litare eodem ritu, quo Missa Cordis Iesu permittitur prima feria sexta mensis. (c. 44/50).

Die 4 martii 1950, Sacra Congregatio respondit: *Non expedire.*

b) Alius Moderator Congregationis Religiosae gratiam rogavit qua liceret Missam votivam litare in omnibus domibus Religionis, non autem in studiorum tantum collegiis, prout ex indulto praecedenti permittebatur. (N° prot. C, 35/50).

Die 29 martii 1950, Sacra Congregatio rescribendum censuit: *Non expedire.*

c) Exc.mus Ordinarius N. N. occasione « peregrinationis Mariae » tempore quadragesimali peragendae, missam votivam B. V. celebrari expetivit. (N° Prot. V, 18/50).

Die 18 feb. 1950, Sacra Congregatio respondendum censuit: *Non solere concedi.*

d) Saepe facultas implorata est, qua in sanctuariis missa votiva celebrari posset de B. V. vel alius Sancti, ubi peregrinationes illuc fierent et Sacra Congregatio particularibus indulsit necessitatibus pietatis, quin leges essentiales liturgicas negligeret; hinc seclusi semper fuere nonnulli dies peculiari Ecclesiae festivitati aut liturgiae dicati. Sed quare gratias sub relatis a) b) c) denegavit?

In primo casu ratio denegationis videtur fuisse opportunitas non derogandi ordinario kalendario quod uniformitatem liturgicam regit, multiplicibus privilegiatis exceptionibus quae haud praeseferunt congruam gravemque causam. Votiva porro celebratio SS. Cordis Jesu pro prima feria sexta mensis permissa non eo est, ut in exemplum sumi possit pro quacumque alia devotionali innovatione privilegiata, nam rationes concessionis factae pro Missa SS. Cordis Jesu nedum universaliter, verum etiam peculiaribus historicis adiunctis fundatae inveniuntur; quod pro aliis petitionibus non verificatur.

Pro altero casu, ratio extensionis indulti non est allata, immo exclusa videbatur peculiaribus adiunctis prioris concessionis. Pro tertio casu S. C. gravioris momenti aestimavit regulam quae liturgiam quadragesimalem ordinat, quam omnino occasionalem rationem ab Exc.mo Ordinario allatam ad gratiam implorandam. Hinc praevaluit generalis lex, quae de cetero inter graviores totius liturgiae portenditur.

8°) Missa defunctorum celebranda infra octavam paschatis.

Exc.mus Ordinarius cuiusdam dioeceseos Hispanicae facultatem expostulavit sollemnia funebria celebrandi pro animabus sacerdotum in odium fidei occisorum saeviente perturbatione hispanica, idque durante Paschatis octava; octava quae inter privilegiatas primae classis comprehenditur. (N. prot. V, 4/50).

Die 2 martii 1950, Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: *Non expedire.*

Nobilissimam licet opportunitatem S. C. persenserit tot tantorumque fidei confessorum animas funebribus suffragiis commemorandi, contingentem tamen eandem existimasse censendum est atque non ita urgentem, ut fieri permitteretur funebris celebratio infra sollemnissimam Pascatis octavam. Dum ergo octava Paschatis omnino singularissima ordinatur regula, petitum indultum pari

ratione non cohonestabatur. Deficiente adaequata causa concessionis, praevaluit gravior lex universalis.

Missa de Requie « in die trigesima » in octavis privilegiatis.

Exc.mus Ordinarius dioeceseos anglicae N. N. quo satisfieret optatis fidelium qui maxime die trigesima ab obitu Missam sollemnem expetebant pro suis defunctis, gratiam exoptavit ut in octavis privilegiatis 2^{i} et 3^{i} ordinis dicta Missa permitteretur. (N. Pr. A 29/51)

S. C. die 12 aprilis 1951 pro gratia respondendum censuit » « tantum in octavis tertii ordinis: ad quinquennium ».

Uti ex responso S. C. apparet, minimum conceditur et ad tempus, etsi agatur de Missa privilegiata: ratio est quod Ecclesia sollemnitates liturgicas quae cum octavis celebrantur ex intrinseca festi relevantia, omnino praevaleant vult privatis utcumque optatis; et cum adiuncta exceptionem aliquam suadent, a minoribus tantum regulis recedere in singulis casibus permittit.

9°) Facultas consecrandi patenas et calices (c. 1147).

Moderator Generalis cuiusdam Congregationis presbyterorum S. C. exposcebat facultatem pro se et suis successoribus consecrandi calices et patenas pro ecclesiis sui Instituti, quoties Episcopus abesset sive ex notabili distantia sedis, sive alia de causa. (N. prot. C, 53/50).

Die 14 apriliis 1950, S. C. respondendum censuit: *Non expedire.*

Canon supra relatus consecrationes reservat Episcopis aut illis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quibus aut ius aut privilegium speciale talem facultatem attribuit. Urgens modo necessitas semper requiritur ut particulare de re indultum aliis tribuatur, alioquin reservatio momentum iuridicum amitteret.

In casu porro relato, Episcopus statis temporibus adiri posse supponitur, ideoque Moderator Generalis dictae Congregationis visus est absolute facultate non indigere: eo minus facultate perpetua officio ipsi concredenda.

10°) Dicare altare beatis, omnesque ecclesias ss. virgini assumptae (c. 1168).

a) Moderator Provincialis cuiusdam Ordinis S. C. rogabat ut, ad fovendum cultum erga Beatam Imeldam Lambertini, eidem beatae altare quoddam dicari permitteretur, praesertim quia eo in loco confraternitas puellarum florebat quae peculiarem pietatem in beatam habebant. (N. prot. F, 30/50).

Die 15 sept. 1950, Sacra Congregatio respondendum censuit: *Non expedire.*

b) Exc.mus quidam Episcopus, in perpetuam recordationem dogmatis Assumptionis B. V. M. a SS. Domino Nostro Pio Papa XII definiti, facultatem expetivit dicandi omnes suae diocesis ecclesias et oratoria Assumptioni B. V. M. coniunctim cum titularibus existentibus. (N. prot. F, 30/50).

Die 11 octobris 1950, Sacra Rituum Congregatio respondit: *Non expedire.*

Prioris responsi ratio facile invenitur in precibus ipsis oratoris adaequatam non ostendentis causam petitionis. Codex enim et decreta S. R. C. stricte ordinant Beatorum cultum; quare hunc augeri non permittunt sine gravi peculiarique causa.

Alterius petitionis inopportunitas iam ex can. 1168 patet quod « singularem » titulum praescribit eumque immutabilem. Addendum praeterea tam amplam concessionem ab Episcopo expostulatam cohonestandam fuisse, pro singulis locis seu ecclesiis quod factum non est. Hinc decreta 2619, 2719 ad 2, 2853, 3701 sustineri debebant.

11°) Variationes in festis celebrandis (c. 1247).

a) Congregatio quaedam presbyterorum exoptavit ut festum S. Ioseph in ecclesiis Instituti quotannis celebrari posset die decima nona martii quacumque alia occurrente celebratione quae non esset de dominica Passionis aut Hebdomadae Maioris. (N. prot. C, 16/50).

Die 26 ianuarii, Sacra Congregatio respondendum censuit: *Non expedire.*

b) Capitulum quoddam Mexicanae Ditionis expetivit gratiam celebrandi quotannis sub ritu duplici primae classis festum Maternitatis B. V. M. die anniversaria sollemnis coronationis Imaginis peculiaris Eiusdem Deiparae. (N. prot. M, 52/50).

Die 1 iunii 1950, Sacra Congregatio respondit: *Non expedire.*

c) Parochus quidam gratiam efflagitabat celebrandi, cum Missa propria adprobata, festum translationis S. Jovinae puellae Martyris. (N. prot. L, 24/50).

Die 14 iunii 1950, Sacra Congregatio decrevit: *non expedire.*

d) Superiorissa Generalis cuiusdam Congregationis Sororum S. S. rogavit de concedenda octava primae classis festis de SS. Fundatoribus. (N. prot. C, 105/50).

Die 12 iunii 1950, Sacra Congregatio respondendum censuit: *Non expedire.*

e) Parochus quidam optavit gratiam, qua in sua paroecia celebrari liceret festum Linguae S. Antonii Patavini Conf. cum Officio et Missa propriis et adprobatis pro Patavina Dioecesi. (N. prot. C, 108/50).

Die 15 septembris 1950, Sacra Congregatio decrevit: *Non expedire.*

Repulsarum rationes exquirenti facile patet quod in primo casu S. C. prae oculis probabiliter habuit possibilem concurrentiam dominicae quadragesimalis, cuius liturgicae legi derogare non voluit ex generali principio praevalenti. Simul tamen considerare debuit quod sollemnitas S. Ioseph iam plenam obtinet celebrationem tempore paschali, quae fixam pro universali ecclesia habet sedem ideoque satisfacere poterat oratorum propositis, quin gravior regula liturgiae quadragesimalis negligenda foret.

Ad alterum quod attinet casum, S. C. sollemniorem ritum indulgendum non censuit probabiliter quia pro traslatione festi causa non adaequata visa est; eo minor proinde habita est pro concedenda sollemnitate primae classis.

In tertio casu, caute omnino se gessit S. C. in denegando indulto, quum haud leves incertitudines obstent quominus firmetur cultus nonnullorum martyrum, quorum corpora e catacumbis tranlata sunt quorumque certissima et authentica desiderantur documenta; eo minus S. C. favet eorumdem celebrationi quo leviores sunt rationes allatae pro concessione obtinenda.

Ad quartum quod attinet casum S. C. indultum probabiliter detrectavit quia, dum SS. Fundatorum cultum singulis institutis indulget augendum, ne nimia expetantur pariter invigilat quoties peculiares rationes privilegium non cohonestent.

In quinto casu e contra agebatur de omnino singulari privilegio cuidam paroeciae concedendo, quin obiectiva haberetur opportunitas; nam festum Linguae S. Antonii cum officio et missa propriis iure sustineri potest in Dioecesi Patavina ubi saecularis fulget cultus insignis Confessoris ex praesentia Sepulcri, non autem in paroecia oratoris, qui pietatem privatam fovere studebat.

12°) Facultas celebrandi missam coram ss. sacramento sollemniter exposito (c. 1274).

Pia quaedam Societas S. C. exposcebat facultatem, qua in sanctuario magnae urbis, ubi frequens populi concursus habebatur, Missae celebratio fieri permitteretur in altari expositionis SS. Sacramenti, ne irreverentia occurreret erga SS. Eucharistiam, ubi Missa celebranda foret alio in altari. (N. prot. P, 50/50).

Die 26 iunii 1950, Sacra Congregatio rescribendum decrevit: *Non solere concedi.*

Responsum iure intelligitur praecise ex allata ab oratore ratione: debita reverentia enim postulat ut pietas fidelium, qui mentem ordinare debent erga Sacrosanctum Sacrificium, non distraha-

tur ab adoratione tanti Mysterii peculiari sollemnitate expositi. Hinc nisi succurrant omnino graves causae, quae aliam solutionem non permittant sine nocumento fidelium servataque liturgica lege, Ecclesia veterem regulam urgendam aestimat.

13°) Quadraginta horarum supplicatio in hebdomada maiore (c. 1275).

Archiconfraternitas Immaculatae Conceptionis dioecesis N. N. gratiam efflagitabat, qua consuetudo confirmaretur, quae asserebatur immemorabilis, iuxta quam supplicatio Quadraginta Horarum fieri permitteretur feria quinta et feria sexta Hebdomadae Maioris. (N. prot. N, 13/50).

Die 15 martii 1950, Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: *Negative.*

Ratio denegationis in eo evidenter reponenda videtur quod pium exercitium XL Horarum plane repugnat cum peculiarissima liturgia illarum dierum, quibus Ecclesia Mysteria Redemptionis severissimis legibus commemorare studens, quamcumque aliam festivitatem aut celebrationem directe non connexam cum liturgia Maioris Hebdomadae omnino vult postpositam.

S. Indelicato

CODEX
IURIS MUSICAE SACRAE

INTRODUCTIO

Statuit can. 1264 § 1 Codicis iuris canonici: « Musicae, in quibus sive organo aliisve instrumentis sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur, ab ecclesiis omnino arceantur; et leges circa musicam sacram serventur ». Quae quidem leges non paucae sunt neque organice sunt collectae et ordinatae, sed in fontibus canonicis huc illuc dispersae inveniuntur.

In internationali autem Conventu de musica sacra, qui, IX recurrente saeculo a praeclarissimi monachi Guidonis Arretini morte, Romae feliciter celebratum fuit mense Maio Anni Jubilaris 1950, nonnulli expetivere ut huiusmodi leges in formam parvi codicis redigerentur ad faciliorem earum cognitionem earumdemque pleniorem exsequutionem. Cui voto libenter obsequens, praesens opusculum, privata tantum pollens auctoritate, paravi, vestigia tamen premens illius *Motu Proprio* « *Inter pastoralis officii* », diei 22 Novembris 1903, Beati Pii Pp. X: quod idem Beatus Pontifex Codicem iuridicum musicae sacrae iure meritoque appellavit; idque subsequentibus SS. PP. Pii XI ac Pii XII feliciter regnantis praescriptis necnon S. Rituum Congregationis aliarumque SS. CC. decretis ad rem pertinentibus locupletavi, prae oculis etiam habens *Regolamento per la musica sacra in Roma*, quod, a Card. Urbis Vicario Petro Respighi die 2 Februarii 1912 promulgatum, uti pianae reformationis de musica sacra fidelis interpretatio et applicatio haberi potest.

At, praeter dictum scopum practicum, praesenti opusculo parvam quidem ac modestam conlationem dare intendimus codificationi iuris liturgici universi a multis diu exoptatae.

Ne qua confusio irrepat, *musicam sacram* a *musica religiosa* distinguimus. Illa divino cultui iuxta Ecclesiae leges inservire intendit; et dicitur *liturgica* si functionibus liturgicis (ut sunt Missa, Officium etc.), *extra-liturgica* si functionibus extra-liturgicis (ut

sunt devotiones populares) dicatur; quod si contra legitima praescripta fuerit exarata atque inde ad utrumque inepta sit, musica dicitur *anti-liturgica.*

Musica vero *religiosa*, etsi quoad materiam vel formam musicae sacrae assimilari contingat, spiritualem tantum fidelium recreationem persequitur atque ideo nec ad exigentias divini cultus nec ad Ecclesiae leges de musica sacra attendit: quo sub respectu musica etiam *anti-liturgica* dici poterit *religiosa*, quatenus utraque a musica *profana* distinguitur.

Fore confidimus ut musicae sacrae artifices ac chori et organorum moderatores ipsique cantores necnon ecclesiarum rectores ac levitae, quibus praecipue munus incumbit fidelem legum liturgicarum de musica sacra observantiam, sub eorundem Ordinariorum ductu, curandi, ex hoc opuscolo, quod iisdem dicamus, aliquam utilitatem capturi sint ad divini cultus in Ecclesia splendorem magis magisque provehendum animarumque salutem actuosius in dies procurandam.

FONTES AC COMPENDIA

CJC = Codex iuris canonici, can. .....

SRC = Sacra Rituum Congregatio. Decr. ..... = Numerus ordinalis Decretorum S.R.C. quae continentur in opere, cui titulus *Collectio authentica decretorum S. Rituum Congationis.*

AAS = Acta Apostolicae Sedis.

MP = Motu Proprio Beati PP. X *Inter pastoralis officii sollicitudines* d. 22 Nov. 1903 (Decr. n. 4121).

RR = *Regolamento per la musica sacra in Roma* del Card. Pietro Respighi, del 2 Febbraio 1912.

CA = Const. Apost. Pii PP. XI *Divini cultus sanctitatem*, d. 20 Dec. 1928 (A.A.S. vol. 21 pag. 33-41).

LE = Litterae Enc. Pii PP. XII *Mediator Dei* d. 20 Nov. 1947. (A.A.S. vol. 39, pag. 521-595).

CODEX IURIS MUSICAE SACRAE

Pars I - NORMAE GENERALES.

Can. 1. § 1. Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam eaque proinde praecipere quae ad caeremonias, ritus, formulas, preces, cantum attinent, tum liturgicos approbare libros chorales [1].

§ 2. Leges itaque liturgicae circa musicam sacram omnes obligant in Ecclesia Latina, non obstantibus privilegiis atque exemptionibus quibuscumque, etiam speciali nomine dignis [2].

§ 3. Quare indulta ac privilegia praesentibus praescriptis contraria, ab Ordinariis forte concessa, tamquam abrogata habeantur [3].

Can. 2. Normae pro musica liturgica statutae servandae sunt per se etiam pro musica extra-liturgica, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura ad musicam liturgicam tantum pertineant [4].

Can. 3. § 1. Locorum Ordinarii advigilent ut Sedis Apostolicae praescripta de musica sacra sedulo observentur, et praesertim ne in cultum divinum sive publicum sive privatum aut in quotidianam fidelium vitam superstitiosa ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem praeseferens [5].

§ 2. Si loci Ordinarius regulas hac in re (vulgo *Regolamento per la musica sacra*) pro suo territorio tulerit, etiam religiosi omnes, exempti quoque, tenentur easdem servandi; et Ordinarius potest eorumdem ecclesias vel publica oratoria in hunc finem visitare [6].

Can. 4. Quoad consuetudines circa musicam sacram serventur normae iuris communis. Quare:

1° Vigentes in praesens contra leges Apostolicae Sedis de musica sacra consuetudines sive universales sive particulares, si quidem ipsis legibus expresse reprobentur, tamquam iuris corrupte-

---

[1] Can. 1257 CJC; CA initio; Decr. 4134.
[2] Can. 2; 1264 § 1 CJC; Decr. 4131.
[3] Can. 60 § 2, 71 CJC.
[4] RR n. 30.
[5] MP n. 29; Can. 1261 § 1 CJC: CA n. XI.
[6] RR initio; Can. 1261 § 2 CJC.

lae corrigantur neve sinantur in posterum reviviscere; aliae, quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi aliud expresse caveatur.

2° Nulla consuetudo contra vel praeter leges ecclesiasticas de musica sacra iisdem legibus praeiudicum afferre potest, nisi fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta; contra legem vero ecclesiasticam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis.

3° Consuetudo, quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

4° Lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares, nisi expresse de iisdem mentionem fecerit [1].

Can. 5. Ad poenas quod attinet, Ordinarii erit, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali, eas infligere ad normam iuris communis. Sed, nisi aliter cautum fuerit:

1° Clerici maiores, qui in sacro ministerio ritus ac caeremonias ab Ecclesia praescriptas necnon normas de musica sacra graviter negligant et moniti sese non emendaverint, suspendantur pro diversa reatus gravitate.

2° Cantores vero ac cantorum et organorum moderatores, qui in officio suo exercendo leges liturgicas de musica sacra transgressi fuerint, poterunt a legitimo Superiore aliqua iusta poena puniri, non exclusa privatione vel suspensione ad tempus muneris, vel etiam mulcta pecuniaria, etiam sine praevia poenae comminatione, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat [2].

Pars II - NORMAE SPECIALES.

Tit. I - PRINCIPIA.

Can. 6. § 1. Musica sacra est pars necessaria sollemnis Liturgiae; quae quidem, etiamsi adstantibus solummodo sacris administris peragatur, ob rituum maiestatem caeremoniarumque appa-

---

[1] Can. 5, 27, 28, 30 CJC.

[2] Can. 2220 §§ 1-2; 198 §§ 1-2; 2378; 2222 § 1; 2291 n. 10, 12 CJC.

ratum peculiari fruitur dignitate sua, cuius tamen splendor et amplitudo, si frequens pietateque praestans populus adsit, ut Ecclesiae in votis est, summopere adaugetur [1].

§ 2. Quare Sacrum, alternis vocibus celebratum (vulgo *Messa dialogata*), in locum augusti Sacrificii sollemniter peracti suffici non poetst [2].

Can. 7. Musica sacra igitur sollemnis Liturgiae finem generalem participat, qui gloria Dei est ac sanctificatio exemplumque fidelium, atque proprias eiusdem qualitates possideat necesse est, in primisque sanctitatem ac bonitatem formae; unde alia nota suapte exeritur, universalitas.

Hinc musica sacra:

1° Cum sancta esse debeat, quodvis profanum occurrat, non modo ex re ipsa amovendum est, sed ex ratione, qua per exsecutores proponitur.

2° Verae insuper artis specimen exhibeat; neque enim aliter in audientium animos influere tantum potest, quantum Ecclesia, concentuum artem in Liturgiam admittens, sibi pollicetur.

3° At simul universalis esto, ita quidem ut, concessa singulis nationibus facultate in sacris modis certas adhibendi formas, quae peculiarem quodammodo notam suae cuiusque musicae constituant, hae tamen eo ritu musicae sacrae naturae generali subiiciantur, ut nemo ex exteris gentibus, eas accipiens, ingrate ferat [3].

Tit. II - MUSICAE SACRAE GENERA

Cap. I - Cantus grerorianus et libri chorales.

Art. I - *Cantus gregorianus.*

Can. 8. § 1. Qualitates ab Ecclesia requisitae pro musica sacra in gregorianis concentibus maxime inveniuntur; igitur huiusmodi cantus Ecclesiae Romanae proprius est: unum hunc ab antiquis patribus hereditate accepit ac summa cura longo saeculorum cursu in Codicibus liturgicis custodivit; hunc tamquam suum directo fidelibus proponit atque in nonnullis Liturgiae partibus unice constituit.

§ 2. Quare cantus gregorianus tamquam musicae sacrae supremum exemplar habitus est, ut iure lex haec generalis enuntiari

---

[1] MP n. 1; LE n. 104, pag. 561.
[2] LE n. 104, pag. 561.
[3] MP n. 2.

queat: eo magis musicum opus Ecclesiae inserviens sacrum esse atque liturgicum, quo magis ratione sua, afflatu, sapore ad melos gregorianum accedat; contra eo minus Templo dignum esse, quo magis ab exemplo illo recedat [1].

Can. 9. § 1. Itaque vetus gragorianus cantus traditione perceptus late in Sacris restituendus est, quum omnes pro certo habeant divinam rem nihil magnificentiae suae amittere, licet unice cum hoc musico genere consocietur.

§ 2. Nominatim autem gregorianus cantus, in iis quae ad populum spectant, in populi usum restituendus curetur, quo ad divinas laudes Misteriaque celebranda magis agentium partem, antiquorum more, fideles conferant [2].

§ 3. Quae autem, iuxta veram ac genuinam Ecclesiae traditionem, ad populum spectant, seorsim vel alternatim cum Schola, sunt:

1° Responsiones intonationibus Celebrantis ac Sacrorum Ministrorum tum in Missa quum in ceteris sacris functionibus;

2° Acclamationes, Hymni ac Sequentiae;

3° Ordinarium Missae (sc. Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus et Agnus Dei);

4° Psalmodia in Vesperis vel aliis sacris functionibus [3].

§ 4. Ad Vesperas quod attinet, quamvis nihil districto iure laicis hac in re praecipiatur, verumtamen summopere optandum ut horarias illas preces canendo actu participent, quae diebus festis sub vesperum in sua cuiusque paroecia habeantur. Quare:

1° Pia haec consuetudo, ubi viget, in usu esse ne desinat; ubi vero obsolevit, iterum in usum revocetur.

2° Vespertinae laudes, non solum digne ac decore persolvantur, sed ita quoque ut variis modis fidelium pietatem suaviter alliciant [4].

Art. II. - *De editione authentica seu typica librorum choralium.*

Can. 10. § 1. Cantus gregorianus in ecclesiis omnibus cuiusve ordinis adhibendus is est qui ad veterum codicum fidem restitutus,

---

[1] MP n. 3.
[2] MP n. 3.
[3] RR n. 1.
[4] LE n. 146 pag. 575.

ab Ecclesia in editione authentica seu typica, Vaticanis typis, propositus est [1].

§ 2. Editio Vaticana de libris liturgicis gregorianis, prouti evulgata fuit Auctoritate Apostolica, cum suis notulis traditionalibus et cum regulis Graduali Romano praefixis, satis superque continet quae ad rectam cantus liturgici exsequutionem conferunt [2].

Art. III - *De editionibus juxta typicam.*

Can. 11. § 1. Editiones autem juxta typicam adhiberi nequeunt, nisi eas Ordinarius loci declaratione munierit, qua de eius concordantia constet cum editione typica Vaticana [3].

§ 2. Ordinarius vero huiusmodi declarationem ne concedat, nisi prius censores in cantu gregoriano periti, collatione diligentissime facta, in scriptis, onerata conscientia, testenturr novam editionem cum typica Vaticana omnino concordare [4].

§ 3. Si agatur de Officiis propriis Ecclesiae vel Ordinis Regularis Romanum ritum sectantis, aut de Officiis noviter concessis, gregorianae eorum cantilenae, a viris peritis restitutae vel concinnatae, S. R. C. approbationi subiiciantur; qua obtenta, Ordinarius loci certior factus, ut supra in § 2, de concordantia cum originalibus a S. Congregatione recognitis, declarationem requisitam concedat [5].

§ 4. Tolerari potest quod cantus gregorianus notis musicalibus modernis edatur, dummodo periculum sedulo amoveatur, quominus ordo notularum ac neumarum quomodocumque deturbetur. Ordinarius itaque pro hisce editionibus in commodum fidelium approbationem suam concedere poterit, si ei constiterit, juxta superiores §§ 2-3, de fideli conformitate cum editione typica vel melodiis approbatis [6].

Art. IV - *De editionibus cum rhythmicis signis.*

Can. 12. Firmo praescripto can. 10 § 2, editionibus in subsidium scholarum cantorum, signis rhythmicis, uti vocant, privata auctoritate ornatis, poterunt Ordinarii in sua quisque dioecesi apponere *Imprimatur*, dummodo constet formam notularum cantus

---

[1] MP n. 3; CA n. IV; Decr. 4131.
[2] Decr. 4259 ad I.
[3] Decr. 4166 ad III; 4266; 4345 ad I.
[4] Decr. 4166 ad IV.
[5] Decr. 4166 ad VI.
[6] Decr. 4166 ad VII.

sic integram servatam fuisse, ut omnes ex eis, quae eandem habent rationem vel significationem ac proinde in editione typica Vaticana unam eandemque figuram referant; pariter in alia editione, quae ab Ordinario approbari possit, necessario quoad formam omnino inter se similes exstent et coaequales. Ideoque signa, quae forte fuerint, permittente Ordinario, superinducta, nullatenus notularum formam vel modum, quo ipsae coniunguntur, afficere debent ita ut inter notulas typicas et signa, quae superveniunt, nulla confusio oriri queat [1].

Cap. II - Polyphonia.

Can. 13. § 1. Polyphonia classica, praecipue Romanae Scholae, memoratas musicae sacrae notas praeter modum possidet, ad gregorianos concentus plane accedit, atque inde una cum gregoriano cantu ad solemnia Ecclesiae maxima, quae in Caeremoniis Pontificiis necnon in solemniis Cardinalitiis habentur, excipi meruit [2].

§ 2. Quare polyphonia late in Sacris restituenda erit apud insigniores Basilicas praesertim, apud cathedrales Ecclesias, apud Seminaria aliaque ecclesiastica collegia, ubi ad rem necessaria minime desiderentur [3].

Cap. III - De moderna ac hodierna musica.

Can. 14. § 1. Ecclesia artium progressum indesinenter coluit eique favit, ad religionis usum omnia admittens, quae hominis mens bona pulchraque per saeculorum cursum invenit, salvis tamen liturgicis legibus. Musica itaque moderna et ipsa probatur, quippe quae opera excellentiae, sapientiae et gravitatis plena exhibent, sacris Caeremoniis non indigna.

§ 2. Quia vero moderna musica ad profanum usum praecipue orta fuerit, in hoc maior erit collocanda cura, ne eiusmodi opera quidquam profani afferant neve theatralia argumenta redoleant neu denique in ipsis formis externis ad exemplum profani cantus effingantur.

§ 3. Inter varia recentioris musicae genera, theatralis stylus, superiore saeculo cum maxime in Italia vulgatus, ad divinas res prosequendas minus idoneus visus est; natura enim sua gregorianae rationi classicaeque polyphoniae, atque ideo supremae legi sacrae musicae cuiusvis, opponitur; praeterea intima structura, rhythmus,

---

[1] Decr. 4263, 4178.
[2] MP n. 4; Decr. 4284 ad I n. 4.
[3] MP n. 4.

conventionalismus, ut aiunt, recentioris huius artis, nonnisi male respondet iis, quae cantus vere liturgicus postulat [1].

Can. 15. § 1. Haud tamen asseverari potest hodiernae musices modos atque concentus ex catholicae religionis cultu omnino removendos esse, nisi:

1° aliquid iidem habeant, quod profanum sapiat vel loci ac liturgicae actionis sanctitatem dedeceat;

2° ex inani quodam studio miri atque insoliti oriantur.

§ 2. Ceteris itaque in adiunctis hodiernae musices in templa admitti poterunt, cum ad sacrorum rituum splendorem mentesque ad altiora elevandas simulque ad veram animi refovendam pietatem haud parum conferre queant [2].

Can. 16. § 1. Moderna vel hodierna musicae sacrae opera cultui destinata approbanda sunt a S. Caeciliae vel S. Gregorii Consociationibus competenti Auctoritate Ecclesiastica legitime erectis vel, sin minus, a Coetu dioecesano pro musica sacra [3].

§ 2. Pro exsequutione in functionibus liturgicis operum musicae sacrae nulla taxa exigi potest titulo iuris Auctoris vel Editoris, sub poena exclusionis eorundem operum a repertorio ecclesiarum [4].

Cap. IV - Cantus religiosus popularis.

Can. 17. Cantus religiosus popularis quam maxime promoveatur atque, servata debita dignitate, diligenter effectus detur, cum christianorum multitudinis fidem pietatemque facile exacuat atque incendat [5].

Tit. III - DE TEXTU LITURGICO.

Cap. I - De lingua adhibenda in musica liturgica.

Can. 18. Proprius Romanae Ecclesiae sermo latinus est [6].

---

[1] MP n. 5-6.
[2] LE n. 188, p. 590.
[3] RR n. 19.
[4] Can. 1160; *Istr. della S. C. del Concilio del 25 febbraio 1932: A.A.S.* vol. 24, pag. 72 ss.
[5] LE n. 189, p. 590.
[6] MP n. 7.

Can. 19. § 1. Itaque in Sacris Liturgicis, tam sollemnibus quam cantatis, omnino prohibentur cantus vulgari eloquio editi [1].

§ 2. Sacra autem Liturgica sunt:

1° Missa;

2° Officium Divinum;

3° Processiones ordinariae, quae sc. fiunt certis diebus per annum ut sc. in Festo Purificationis B.M.V., in Dominica Palmarum, in Litaniis maioribus in Festo S. Marci, et in minoribus triduo Rogationum ante Ascensionem Domini, in Festo SSmi Corporis Domini, in SS. Stationibus, et aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum;

4° Processiones extraordinariae, quae sc. aliis publicis de causis in alios dies indicantur, ut, e. gr., Processio Eucharistica occasione Congressus Eucharistici [2].

§ 3. Prohibitio, de qua in superiore § 1, tenet etiamsi in Missa sollemni vel cantata Sacra Communio per notabile tempus distribuatur [3].

§ 4. Item non licet in sollemni Processione cum SS. Sacramento lingua vernacula cantare alternatim cum hymnis liturgicis [4].

§ 5. Contraria consuetudo, si alicubi introducta fuerit, est omnino eliminanda tamquam abusus et corruptela [5].

Can. 20. Lingua vulgari cantare licet:

1° In Missis privatis, et coram SSmo exposito, dummodo tamen ne agatur de textibus proprie liturgicis ut e. g. *Introitus*, *Communio*, Hymni, *Te Deum*, *Lauda Sion* aliisque huiusmodi quibuscumque, qui nonnisi latine canendi sunt; et adsit huiusmodi textuum adprobatio ex parte Ordinarii [6].

2° Post Benedictionem Eucharisticam [7].

Can. 21. In Functionibus autem extra-liturgicis valent eaedem regulae, de quibus in can. 18-20, latius tamen intellectae et semper

---

[1] MP n. 7.

[2] Can. 1290, 1291 CJC. *Rituale Romanum* (Edit. typica a. 1952) Tit. X, Cap. I n. 8-9.

[3] Decr. 3975 ad V.

[4] Decr. 3975 ad V.

[5] Decr. 3113 ad I; 3230; 3827 ad I; 3994 ad I; Ord. SRC a. 1884 art. 3; Ord. SRC a. 1894 art. 7.

[6] MP n. 7; Decr. 3537 ad III; 3880: 4235 ad VII n. 10 et VIII; 4268 ad X.

[7] Decr. 2698; 2791 ad II.

secundum generalia principia musicae sacrae; et serventur laudabiles consuetudines [1].

Cap. II - De modo canendi textum liturgicum.

Art. I - *Regulae communes.*

Can. 22. Quum in singulis Sacris liturgicis textus musices proponendi ac propositionis ordo apprime fuerint constituti, neque licet ordinem hunc subvertere, neque praescriptos textus ad nutum mutare, neque ex integro vel tantum in parte omittere [2].

Can. 23. Textus liturgicus canendus est, prout exstat in libris, nullo verbo corrupto, nullo postposito, indebitis iterationibus et syllabarum abruptionibus prorsus amotis, atque ita semper ut ab audientibus percipi possit [3].

Can. 24. § 1. Modi, qui Sacerdotis ad altare Sacra peragentis Administrorumque proprii sunt, semper ex uno gregoriano cantu nullaque organorum modulatione constabunt [4].

§ 2. Usus canendi quandam cantilenam traditionalem nullibi adnotatam ideoque ad arbitrium variabilem uti corruptela est extirpanda [5].

Art. II - *In Missa*

Can. 25. Rubricae, quae in Kyriali Vaticano sub unaquaque Missa inveniuntur, sunt directivae tantum, feriis tantum exceptis, in quibus Missae de feria canendae sunt [6].

Can. 26. Consuetudo, qua Canonici et Mansionarii choro addicti in Missis Conventualibus, imo et in Pontificalibus, neque canunt neque submissa voce recitant Ordinarium Missae, sed haec omnia peragi sinunt ab uno laico qui organum pulsat, veluti abusus est eliminandus [7].

---

[1] Decr. 3496.
[2] MP. n. 8.
[3] MP n. 9.
[4] MP n. 12.
[5] Decr. 3292 ad I.
[6] Rubr. Kyrialis Vaticani post Credo IV positae.
[7] Decr. 3786.

Can. 27. Etsi agatur de Missis a fidelibus infra hebdomadam petitis et unicus adsit cantor, non licet, ne in parte quidem, omittere Ordinarium vel Proprium Missae, nonobstante contraria consuetudine, quae veluti abusus prorsus est eliminanda; salvo tamen praescripto can. 36 [1].

Can. 28. In cantu Passionis textus Evangelicus cantari nequit ab organista, etiamsi sit clericus minorista vel subdiaconus [2].

Can. 29. Canonici tenentur intonare *Gloria* et *Credo*, etiam cum praeintonatione a duobus cantoribus, ubi adsit longaeva consuetudo, quae difficulter eliminari possit [3].

Can. 30. Sacerdos celebrans Missam conventualem, in qua chorus cantare tenetur Symbolum Apostolorum, non potest illam prosequi eo tempore, quo a choro cantatur Symbolum praedictum [4].

Can. 31. Permittitur, post rite cantatum Offertorium, reliquum tempus dare brevi canticulo super verba ab Ecclesia approbata [5].

Can. 32. Dum SSmum Sacramentum elevatur tum in Missa sive sub una sive sub altera specie, tum in Benedictione Eucharistica, cantoribus est omnino silendum iisdemque Sacramentum adorandum, reprobata contraria consuetudine [6].

Can. 33. § 1. *Benedictus* canendus est post Elevationem; quo cantato conceditur, juxta Ecclesiae Romanae consuetudinem, modulari ad Orationem Dominicam usque, dummodo:

1° De iis, quae ex Liturgia canenda sunt, nihil praetermittatur;

2° Celebrans a Missa continuanda haud impediatur;

3° Quod concinatur ad Sacramentum pertineat [7].

§ 2. Ubi viget consuetudo, post Elevationem et *Benedictus* in Missa solemni exequiarum cantari potest motectum cum sequentibus verbis. *Pie Jesu, Domine, dona eis requiem sempiternam; Jesu Salvator mundi, exaudi supplicum preces* [8].

---

[1] Decr. 3624 ad XI.
[2] Decr. 3110 ad X.
[3] Decr. 2114; 4144 ad III.
[4] Decr. 1936; 4242.
[5] MP n. 8.
[6] Decr. 2464; 3058 ad II; 3827 ad III, 4071 ad I.
[7] Decr. 3827 ad III.
[8] Decr. 4239.

Art. III - *In Officio chorali*

Can. 34. § 1. Psalmi decantari debent a choro et ab ipsismet Canonicis et Beneficiatis aliisque de Capitulo in tono et cantu gregoriano cum gravitate et decore, ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur [1].

§ 2. Non autem de cantu tantum agitur, qui, quamvis ex musicae artis sacrorumque rituum normis sit perfectissimus, aures tamen solummodo attingat, sed potissimum de ascensu mentis animique in Deum, ut Eidem nos ipsos omnesque actiones nostras, Jesu Christo coniuncti, penitus addicamus [2].

Can. 35. § 1. In psallendo et iusta tonorum ratio curanda est una cum mediis suis numeris clausisque ad sonum exquisitis, et congruens ad asteriscum mora, et plena denique concordia illa in psalmodicis versiculis hymnorumque strophis conclamandis [3].

§ 2. Salvis autem regulis communibus praemissis in editionibus typicis, advertatur:

1° In cantandis lectionibus vel versiculis, praesertim vero in Psalmorum mediantibus ad asteriscum, quando vel dictio monosyllabica vel hebraica occurrit, licere clausulam immutare vel cantilenam proferre sub modulatione consueta [4].

2° Syllabas hypermetricas, quae juxta regulam Antiphonarii Vaticani non essent elidendae, sed distincte pronunciandae propriaque nota canendae, elidere licere, praesertim si in praxi id facilius et convenientius censeatur [5].

§ 3. Antiphonae autem ad Vesperas praeintonari debent tam Episcopo quam Canonicis ab eo, ad quem de consuetduine Ecclesiae spectet [6].

§ 4. Si cantores, qui Lamentationes cantent, haberi non possunt, tam Lamentationes quam Lectiones II et III Nocturni esse cantandas a Canonicis, incipiendo a iunioribus [7].

---

[1] *Caerem. Episc.* Lib. II, cap. I, n. 8; Decr. 521.
[2] LE n. 141, pag. 574.
[3] CA n. III.
[4] Decr. 4295.
[5] Decr. 4329.
[6] Decr. 2216 ad III.
[7] Decr. 379.

Art. IV - *De cantu sub organo.*

Can. 36. § 1. Ubi adest consuetudo et insufficiens habeatur choralium numerus, licet organo suppleri, dum simpliciter in choro recitantur, aliquot versus [1]; et quidem:

1° In Missa solemni, non autem Defunctorum, cum cantatur Ordinarium et Proprium Missae necnon *Deo gratias*, Symbolo excepto, quod per integrum, si recurrat, semper canendum erit [2];

2° In Divino Officio, in versiculis Hymni et cantici *Magnificat*, cauto tamen ut, dum *Magnificat* cantatur, cantores et organista cantum et sonum ita invicem alternatim dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonae incensatio sit expleta [3].

§ 2. Tam in Missis quam in Matutinis ac Vesperis canendus est a choro in tono intelligibili, non autem sub organo:

1° Primus versus Canticorum et Hymnorum;

2° Versus Hymnorum, in quibus est genuflectendum;

3° Versus *Gloria Patri*, etiamsi versiculus immediate praecedens fuerit a choro pariter decantatus [4].

§ 3. Antiphonae, prout versiculi ad *Benedictus* et *Magnificat*, intelligibili voce repetendi sunt, dum pulsatur organum [5].

§ 4. Versiculi autem semper a duobus sunt decantandi tam in duplici quam in semiduplici Officio, etiam in Commemorationibus [6].

Tit. IV - DE FORMA EXTERNA SACRAE MUSICAE OPERUM

Can. 37. § 1. Musicae opera, quae ab ecclesiasticis cantoribus proponuntur, ad choralis musicae normam, maxima saltem ex parte, procedere debent [7].

§ 2. Non tamen unius vocis melos prorsus arcetur; ea vero ne in Sacris ita unquam praevaleat ut maxima textus pars hoc ritu perficiatur; sit imo ei nota significationis aut harmonici indicii arcteque cum reliqua chorali compositione colligetur [8].

---

[1] MP n. 8; Decr. 2994 ad II; 3108 ad XIV-XV; 4067 ad III; 4189 ad I.
[2] *Caerem. Episc.* Lib. I cap. 28 n. 9; Decr. 4189 ad I-II.
[3] *Caerem. Episc.* Lib. I cap. 28 n. 8; Lib. II cap. 3 n. 13.
[4] *Caerem. Episc.* Lib. I cap. 28 n. 6; Lib. II cap. 5 n. 9.
[5] Decr. 1180 ad 6.
[6] Decr. 235 ad 17.
[7] MP n. 12.
[8] MP n. 12.

§ 3. Quum cantus primum semper locum obtinere debeat, organum aliaque musica instrumenta cantum adiuvent, numquam opprimant [1].

§ 4. Non licet cantui instrumentis late praeludere neque iisdem exordiorum moram facere [2].

Can. 38. Singulae tum Missae tum divini Officii partes musice quoque sensum formamque servare debent qualem traditio ecclesiastica invexit atque optime cantu gregoriano exprimitur: alia est igitur ratio, qua *Introitus*, alia qua *Graduale*, *Antiphona*, *Psalmus*, *Hymnus*, *Gloria in excelsis* etc. componantur [3].

Can. 39. Peculiares autem hae normae serventur:

§ 1. *Kyrie*, *Gloria*, *Credo* etc. in Missa unitatem praeseferant sui cuiusque textus propriam: non licet itaque ea partibus separatis componere, quasi unaquaque pars musicum opus absolutum efficiat, quod a reliquis secerni possit in eorumve locum substitui [4].

§ 2. In Vesperarum sacris peragendis utendum est cantu gregoriano in psalmodia. Musica autem figurata permittitur:

1° In *Gloria Patri* et Hymno;

2° In solemnioribus autem licebit alternis psallere et gregorianum cantum et concentus eos, qui *falsobordoni* italice nuncupantur, sive versus simili modo apte dispositos;

3° Interdum etiam concedi poterit ut singuli psalmi ex integro musice proponantur, dummodo hisce in operibus psalmodiae forma propria servetur, idest talis ut cantores psallere inter sese videantur sive novis concentibus sive modis e cantu gregoriano depromptis vel eius similitudinem praeseferentibus.

4° Psalmi igitur symphoniaci (italice *da concerto*) excluduntur prorsus ac vetantur [5].

§ 3. In Ecclesiae Hymnis forma antiquitus tradita servetur; quamobrem non licet cantico, ex gr. *Tantum ergo*, eos modos aptare, qui in stropha priore flebiles illas formas exhibeant, vulgo *romanza*, *cavatina*, *adagio* appellatas, in altera vero, *Genitori etc.*, festivum genus (vulgo *allegro*) [6].

---

[1] MP n. 16.
[2] MP n. 17.
[3] MP n. 10.
[4] MP n. 11 a)
[5] MP n. 11 b)
[6] MP n. 11 c)

§ 4. Vesperarum antiphonae gregorianis modis sibi propriis generatim proponentur; quod si interdum, singulari aliquo in casu, musice canantur, numquam iis erit symphoniacus modus neque canticuli vel cantionis amplitudo [1].

Tit. V - DE CANTORIBUS.

Can. 40. § 1. In canonicorum et religiosorum choris aliquis eligatur peritus, qui cum liturgiae cantusque choralis normas in usum deducendas curet, tum singulorum vel chori universi vitia vocis emendet [2].

§ 2. Quotquot ad chorale officium tenentur, eos omnes saltem cantum gregorianum rite pernoscere oportet [3].

§ 3. Ii tantum Cappellani cantores eligi poterunt qui plena pollent gregoriani cantus peritia, quam Coetus dioecesanus pro musica sacra recognoscere debet [4].

Can. 41. Iuxta veram ac genuinam traditionem ecclesiasticam de musica sacra:

1° Integer fidelium coetus sacra cantu participet, illas textus liturgici partes exsequens eidem adsignatas ad normam superioris can. 9 §§ 3-4;

2° Exceptis modis qui Sacerdotis ad altare Sacra peragentis Administrarumque proprii sunt, peculiaris Schola Cantorum ceteras textus partes proponat eidem specialiter reservatas utpote melodiis exornatiores [5].

Can. 42. Ecclesiarum cantoribus, utpote qui, quamvis saeculares, Levitarum chori munere funguntur, munus est vere liturgicum [6].

Can. 43. § 1. Cantores, organorum ac chori moderator, pueri chorales a solo ecclesiastico rectore nominantur, pendent, dimittuntur, salvis legitimis consuetudinibus ac conventionibus et Ordinarii auctoritate [7].

§ 2. Nemo autem munus cantoris, chori ac organorum moderatoris in ecclesia exercere poterit, nisi prius constiterit de cuiusque, juxta varios gradus, musica peritia periculo comprobanda coram

---

[1] MP n. 11 d)
[2] CA n. IV.
[3] CA n. IV.
[4] Decr. 1180 ad 1; RR n. 10.
[5] MP n. 3, 12, 27; RR n. 1.
[6] MP n. 12, 13.
[7] Can. 1185 CJC.

deputandis ab Ordinario vel aliis titulis aequipollentibus iudicio eiusdem Ordinarii, audito Coetu doecesano pro musica sacra [1].

§ 3. Ne quis autem cantor in Ecclesiae chorum inducatur, nisi constiterit de eius pietate atque integritate vitae, eumque modestiam religionemque praeferre, quae sanctum decent officium cui ipse addicitur [2].

§ 4. Heretici, schismatici, israelitae prohibentur in ecclesiis catholicis canere; identidem catholici in eorum sacris [3].

Can. 44. § 1. Si quis inhabilis declaratus fuerit ad munus cantoris vel cantorum et organorum moderatoris aut eodem munere privatus vel suspensus ad tempus, ab eiusdem exercitio prohibetur [4].

§ 2. In interdicto locali generali vel particulari cantorum munus et cantorum organorumque moderatoris ordinarie suspensum manet [5].

Can. 45. Rei insuper conveniet cantores, dum in templis canunt, vestibus ecclesiasticis et superpelliceo indui; si tamen, defectu clericorum, in choro adhibeantur, nequeunt uti pluvialibus [6].

Can. 46. § 1. Optandum autem ut cantorum orchestra super maxima Templi ianua nequaquam constructa sit, si quidem illa e regione consistat ubi sacra fiunt.

§ 2. Quod si cantores in suggestu locum habeant fidelium oculis ultra modum patente, eos clathris abscondi conveniet [7].

Can. 47. Quoad praecedentiam in processionibus Cantores cotta induti incedere debent post Crucem ante Canonicos et in loco Episcopo beneviso: unde non infertur praecedentia supra Beneficiatos [8].

Can. 48. § 1. Mulieres, quum ad munus liturgicum exercendum inhabiles sint, ad chori partem agendam aut ullo modo in mu-

---

[1] RR n. 6.
[2] MP n. 14.
[3] *Collect. S. C. de Prop. Fide* nn. 1845, 1851.
[4] Can. 2291 n. 9, 10 CJC
[5] Can. 2271 n. 2; 2272 § 3 n. 2 CJC.
[6] MP n. 14. Decr. 3248 ad IV.
[7] Ordin. SRC a. 1884 n. 10; MP n. 14.
[8] *Caerem. Episc.* Lib. I cap. 2 n. 4; Decr. 931, 948.

sicum chorum admitti non possunt, reprobata contraria consuetudine [1].

§ 2. Quod si acutae vel acutis proximae voces adhiberi velint, antiquissimo Ecclesiae more, id pueri praestabunt [2].

Can. 49. § 1. Mulieres tamen in sacris functionibus canere possunt, quatenus partes sunt fidelium vel populum repraesentant [3].

§ 2. Ordinarius autem permittere poterit ut, ubi viri et pueri suam partem convenienter, tamquam chorus seu Schola cantorum, conferre possunt, mulieres et puellae in scamnis sedentes ipsis in ecclesia adsignatis, partes Missae necnon, extra functiones stricte liturgicas, hymnos aut cantilenas vernaculas canere possint, dummodo tamen:

1° Mulieres et puellae canentes a reliquo populo non distinguantur, salva separatione virorum a mulieribus, ubi laudabilis huiusmodi servatur consuetudo;

2° Ubi praesertim officiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum ne admittatur, nisi ex gravi causa ab eodem Ordinario agnoscenda;

3° Cauto semper ut omnis inordinatio vitetur [4].

§ 3 Numquam licet mulieribus, neque si de aliqua religiosa Congregatione vel pia sodalitate sint, solemnia cardinalitia cantu comitari [5].

Can. 50. § 1. Religiosae mulieres, si eisdem liceat, ad normam suarum constitutionum vel legum liturgicarum ac de venia Ordinarii loci, in propria ecclesia vel oratorio publico canere, tali e loco canant ubi a populo conspici nequeant [6].

§ 2. Suadendum vero ut in Sacris liturgicis Religiosae mulieres cantum gregorianum praeferant eundemque tota communitas exsequatur [7].

§ 3. Religiosae in Missis sollemnibus in earumdem ecclesiis celebratis turbam repraesentantes cantare prohibentur in Passione partem ad turbam spectantem [8].

---

[1] MP n. 13; Decr. 3964.
[2] MP n. 13.
[3] RR 12.
[4] Decr. 4210 ad II
[5] Decr. 4404.
[6] Can. 1264 § 2 CJC
[7] RR n. 12
[8] Decr. 2169

§ 4. Quae dicta sunt de religiosis mulieribus valent etiam de earumdem contubernalibus [1].

Tit. VI - DE ORGANO

Can. 51. § 1. Proprium Ecclesiae musicum instrumentum est organum, ut aiunt, a maioribus traditum quod ob miram quamdam granditatem maiestatemque dignum habitum est ut cum liturgicis ritibus coniungeretur, sive, silente choro, ad praescripta, harmonias suavissimas eliciendo [2].

§ 2. Vitanda est sacri et prophani pemixtio cum fabrorum, qui organa conficiunt, tum modulatorum, qui novissímae musicae portentis indulgent [3].

Quare non licet:

1° Prophana instrumenta ac v. d. *campane tubolari* organo adiungere [4].

2° *Dischi grammofonici* v. d. in cultu divino adhibere [5].

Can. 52. § 1. Ubi organum haberi nequeat, permittitur harmonium quod vocant.

§ 2. Cum vero mulieres ad normam legum liturgicarum in ecclesia canunt, licet harmonium inter eas ponere ut earum cantum comitetur, atque religiosam vel mulierem illud pulsare, dummodo tamen sufficienti peritia polleat [6].

Can. 53. Organum electrophonicum et auto-organum introduci nequeunt in ecclesiam pro sacris functionibus, nisi de consensu Ordinarii loci, audito Coetu dioecesano pro musica sacra [7].

Can. 54. § 1. Organi munus in SS. Functionibus est cantum comitari eidemque juxta praescripta praeludere, interludere et postludere, servato praescripto can. 37 §§ 3-4 [8].

§ 2. Organi sonus non modo iuxta naturam huius instrumenti propriam perducatur, sed omnium qualitatum, quibus musica vere sacra pollet, particeps esto [9].

---

[1] RR n. 12
[2] CA n. VIII.
[3] CA n. VIII.
[4] Decr. 4344
[5] SRC 25 Sept. 1939.
[6] SRC 22 Junii 1928.
[7] SRC d. 27 Febr. 1948 n. 1917/48; d. 15 Julii 1949 (*AAS* vol. 41 pag. 617).
[8] MP n. 18. CA n. VIII.
[9] MP n. 18.

Can. 55. § 1. Organi sonus in ecclesia adhiberi potest:

1° In omnibus Dominicis et Festis per annum occurrentibus, nisi tamen agatur de tempore Adventus et Quadragesimae, cum exceptionibus de quibus infra [1].

2° Quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus ecclesiam ingreditur aut Missae sollemmni per alium celebrandae in festis sollemnioribus interfuturus ecclesiam ingreditur aut, re divina peracta, discedit.

3° In ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi aut alterius Episcopi, quem Episcopus dioecesanus honorare voluerit, donec praedicti oraverint et res divina sit inchoanda, et in eorum egressu.

4° In Matutinis, quae solemniter celebrantur in Festis maioribus et in Vesperis a principio ipsorum.

In ceteris horis canonicis, quae in choro recitantur, non est consuetum interponere organum; sed si in aliquibus locis id consuetum sit, poterit talis consuetudo servari, praesertim ad Tertiam, quando cantatur dum Episcopus solemniter celebraturus capit paramenta; item ad Completorium, si in aliquibus ecclesiis huiusmodi hora solemnis celebrari aliquando consuevit [2].

Imo ad Tertiam in Missa solemni et ad *Magnificat* in Vesperis opportuna erunt organorum interludia, ut tempus compleatur ad debitas caeremonias rite perficiendas [3].

5° Ad cantum gregorianum vel polyphonicum comitandum, eundemque etiam casu necessitatis sustinendum, silente organo cum silet cantus in Missis et Officiis, in quibus sonus organi prohibetur; exceptis tamen SS. Functionibus Maioris Hebdomadae ac intonationibus Celebrantis sacrorumque Administrorum [4].

6° In Missa lecta, quoties Sacerdos elata voce haud recitat, sc. ante et in principio ad Confessionem usque exclusive; finita Epistula ante Evangelium; post Offertorium ad Praefationem usque; post *Sanctus* usque ad *Pater noster;* durante elevatione SSmi Sacramenti graviore ac dulciore sono; post *Agnus Dei* usque ad Postcommunionem ac in fine Missae [5].

Can. 56. Organi sonus in ecclesia prohibetur:

§ 1. Tempore Adventus et Quadragesimae, nisi agatur:

---

[1] *Caerem. Episc.* Lib. I cap. 28 n. 1 Vide infra can. 56 § 1 n. 1.
[2] *Caerem. Episc.* Lib. I, cap. 28, n. 7; Lib. II, cap. 4, n. 3.
[3] *Caerem. Episc.* Lib. II, cap. 3, n. 13; cap. 8, n. 8.
[4] MP n. 12; Decr. 4009, 4265, 4287.
[5] *Caerem. Episc.* Lib. I, cap. 28, n. 9; Lib. II, cap. 8, n. 30. RR n. 28.

1° De Dominica III Adventus (*Gaudete*) et IV Quadragesimae (*Laetare*), tam in Missa quam in Vesperis, non autem in ceteris horis canonicis.

Usus autem in aliis Dominicis ac feriis Adventus et Quadragesimae organum item pulsandi tamquam abusus est eliminandus, etsi agatur de parva domo religiosa vel occasione tridui solemnis SSmi Sacramenti [1];

2° de feria V *in Coena Domini* ad *Gloria in excelsis Deo* aliquantulum post intonationem, vel etiam, juxta consuetudinem, usque ad eiusdem finem, non autem per totam Missam, nonobstante contraria immemorabili consuetudine, quae sit etiam non facile abrumpenda [2];

3° de expositione SSmi Sacramenti eadem feria V vespere et mane feria VI *in Parasceve*, qua perdurante tolerari potest, ubi adsit antiqua consuetudo, ut versiculi (v. *mottetti*) cum sono organi concinantur [3];

4° de Sabbato Sancto ad *Gloria in excelsis Deo* [4];

5° de iis diebus in quibus occureret celebrare solemniter et cum laetitia pro aliqua re gravi et publica Ecclesiae causa, ut in diebus festis S. Matthaei, S. Thomae Aquinatis, S. Gregorii Magni, S. Joseph, Annuntiationis B.M.V. et similibus [5];

6° de prima puerorum Communione [6];

7° de Missis Votivis B.M.V., quae solemniter die Sabbato celebrantur, et in Litaniis B.M.V. quae post Vesperas canuntur ubi adsit consuetudo [7];

8° mense Martio ob devotionem S. Joseph [8].

§ 2. In Officiis atque in Missis sive lectis sive cantatis defunctorum, nisi agatur de cantu comitando; quare silent organa cum silet cantus [9].

§ 3. In cantu Praefationis et Orationis Dominicalis necnon in ceteris accentibus ac recitativis liturgicis Celebrantis et SS. Ministrorum [10].

---

[1] Decr. 2245; 3183; 3576 ad XVI.
[2] Decr. 3515 ad IV; 3535 ad VII; 4067 ad VI.
[3] Decr. 3804 ad II.
[4] *Caerem. Episc.* Lib. I, cap. 28, n. 2.
[5] *Caerem. Episc.* Lib. I, cap. 28, n. 2. Decr. 235 ad XII; 3922.
[6] Decr. 3448 ad XI.
[7] Decr. 2424 ad IV.
[8] Decr. 3448 ad XI.
[9] *Caerem. Episc.* Lib. I, cap 28, n. 13. Decr. 4243 ad V.
[10] MP n. 12. Decr. 4009.

§ 4. In Missa votiva de Passione (coloris violacei), quae feriis VI per annum alicubi celebrari solent [1].

§ 5. In Matutinis Tenebrarum, dum cantatur Passio, Lamentationes, Responsoria, Ps. *Miserere* aliaeque liturgicae partes; nec tolerari potest, nonobstante antiqua consuetudine, usus harmonii aliorumque instrumentorum sine strepitu v. d. *a corda* vel etiam harmonii tantum [2].

Tit. VI - DE MUSICIS INSTRUMENTIS

Can. 57. § 1. Nullum instrumentum, quamvis eximium et perfectum, in exprimendis animi sensibus humanam vocem superare potest, tum maxime cum ipse animus ea utitur ut preces et laudes ad Deum extollat.

§ 2. Cantus itaque cum symphonia coniunctus nullo modo ab Ecclesia tamquam perfectior musicae forma rebusque sacris aptior habetur; etenim magis quam instrumenta, vocem ipsam in sacris aedibus resonare decet: vocem nempe Cleri, cantorum, populi [3].

Can. 58. Speciali tamen ratione, debitis terminis servatisque tutelis servandis, alia musica instrumenta, praeter organum, adhiberi poterunt; numquam vero sine speciali venia Ordinarii ac servato praescripto can. 59, 60, 61 [4].

Can. 59. § 1. In templis, tum musica instrumenta cui vulgo *pianoforte* nomen inditum est, tum instrumentorum maiorem vel minorem strepitum edentium, utpote tympanorum cuiusvis formae vel molis, crotalium, tintinnabulorum et similium usus vetatur.

§ 2. Quare omnino vetantur in templis instrumenta pulsatilia, quibus vulgo nomen inditum est *Gran cassa*, *Tamburo*, *Timpani*, *Tam-Tam*, *Piatti* necnon *Arpa*, *Carillon*, *Celesta*, *Chitarra*, *Cetra*, *Tamburello basco*, *Triangolo*, *Xilofono*, *Clavicembalo*, *Clavicordo*, *Saltarello*, *Virginale* aliaque his omnibus similia [5].

Can. 60. § 1. Servatis normis, de quibus supra in can. 58, admitti poterunt in ecclesia instrumenta v. d. *violini*, *viole*, *violoncelli*, *contrabassi* [6].

---

[1] Decr. 3922 ad IV, n. 2.
[2] Decr. 3804 ad II; 4044 ad I; 4156 ad II.
[3] CA n. VII.
[4] *Caerem. Episc.* Lib. I, cap. 28, n. 11. MP n. 15.
[5] **MP n. 19.**
[6] Decr. 4156 ad I.

§ 2. Quoad instrumenta inflatilia, tantum speciali ratione ac venia Ordinarii, licebit admitti symphoniacorum manipulum delectum, numero circumscritpum, catum, loco congruentem, qui spiritualibus instrumentis ludant, dummodo et musicum opus et collata ad tibias vox gravem stylum redoleant eundemque comparem et omnino similem vocis organi propriae [1].

§ 3. Quare tolerari poterunt, semper iuxta prudens Ordinarii arbitrium ac servatis ceteris clausulis § 2, usus instrumentorum v. d. *flauti*, *clarinetti*, *fagotti*, *trombe*, et etiam *oboe* dummodo moderate [2].

Can. 61. § 1. Severe prohibentur symphoniacorum catervis (v. *bande musicali*) in templis psallere [3].

§ 2. In pompis extra templum ab Ordinario permitti potest symphoniacorum catervae participatio, dummodo ne quovis modo profanos psallat concentus.

Optandum est, in huiusmodi vicibus, symphoniacis munus hoc unum tribui, ut spirituale aliquod canticum moderentur, sive latino sive vulgari eloquio a cantoribus propositum aut a piis Congregationibus, quae pompae adsunt [4].

Tit. VII - LITURGICAE MUSICAE AMPLITUDO

Can. 62. Quum musica nonnisi pars Liturgiae sit humilisque eiusdem ancilla, damnandum itaque est habendumque loco abusus gravissimi quod in sacris caeremoniis secundae partes deferri Liturgiae videantur, quasi haec famulatum musicae praestet [5].

Can. 63. Minime licet, cantus sive soni causa, Sacerdotem ad altare ultra tempus caeremoniae liturgicae conveniens immorari.

Quare, servato ad sonum quod attinet praescripto can. 37 §§ 3-4, quoad cantum:

1° *Gloria* et *Credo*, ad gregorianae traditionis normam, breviora sunto;

2° Juxta ecclesiastica monita, *Sanctus* in Missa ante elevationem absolvendus est; quamprimum et ipse sacerdos, Sacra peragens, cantorum rationem habere debet [6].

---

[1] MP n. 20.
[2] Decr. 4156 ad I; 4226 ad I.
[3] MP n. 20.
[4] MP n. 21.
[5] MP n. 23.
[6] MP n. 22.

Tit. IX - MODI AD REM EXSEQUENDAM PRAECIPUI.

Cap. I - *Coetus dioecesanus pro musica sacra.*

Can. 64. Ut constituta heic ad amussim perficiantur, Episcopi in suis dioecesibus:

1° Coetum virorum constituant apprime musicam sacram callentium, quibus opportuniore quo poterunt modo, munus committant inquirendi in musica opera, quae suis in Templis canantur. Neque id solum curent ut sint ipsa probabilia, sed etiam ut cantorum virtuti respondeant atque optime exhibeantur [1].

2° Consociationes a S. Caecilia vel a S. Gregorio ad musicae sacrae restaurationem erigant iuxta statuta ab Ecclesiastica Auctoritate adprobata [2].

Cap. II - MUSICAE SACRAE STUDIUM.

Art. 1 *In Seminariis aliisque ecclesiasticis institutis*

Can. 65. Quicumque sacerdotio initiari cupiunt, non modo in Seminariis, sed etiam in religiosorum domibus, iam inde a prima aetate cantu gregoriano et musica sacra imbuantur; propterea quod facilius tum ea perdiscunt, quae ad modulationes sonosque pertinent, et vocis vitia, si fortasse habeant, eradicare vel saltem corrigere queunt, quibus quidem postea, adultiores aetate, mederi prorsus non possent [3].

Can. 66. § 1. Ab ipsis primordiorum scholis institutio cantus et musicae incipienda est ac deinde in gymnasio et licaeo continuanda: ita enim qui sacros ordines suscepturi sunt, cum iam cantus periti sensim sine sensu facti sint, in theologicorum studiorum curriculo, sine ullo quidem labore ac difficultate, altiore illa disciplina institui poterunt quam verissime aestheticam dixeris nonodiae gregoriane ac musicae artis, polyphoniae atque organi, quamque clerum pernoscere omnino decet.

§ 2. Esto igitur in Seminariis ceterisque studiorum domiciliis, utrique clero recte conformando, brevis quidem sed frequens ac paene cotidiana cantus gregoriani et musicae sacrae lectio vel exer-

---

[1] MP n. 24.

[2] Pius IX Const. Apost. *Multum ad movendos animos* d. 20 Dec. 1870. - Pius XII Litt. Apost. « *E' certo ben noto lo zelo* » d. 2 Junii 1951 (AAS vol. 43 pag. 548-550).

[3] CA n. I.

citatio; quae, si liturgico spiritu peragatur, solatium potius quam onus, post severiorum disciplinarum studium, alumnorum animis affert [1].

Can. 67. In omni igitur Seminario:

1° Musica sacra disciplinis necessariis adnumeratur ideoque omnibus sacrorum alumnis absolute tradenda.

2° Musicae sacrae magistris proponentibus, annua programmata ab Ordinario adprobanda sunt.

3° Musicae sacrae horarum in hebdomada attributio, facta juxta can. 66 § 2, generali studiorum rationi inserenda est.

4° In feriis autumnalibus longius tempus adhibebitur ad exercitationes practicas tum uniuscuiusque alumni tum plurium vel omnium simul alumnorum et, pro alumnis cursuum philosophici et theologici, hebdomadae studiorum indicentur ad praecipuas quaestiones musicae sacrae penitius pertractandas.

5° Non aliter ac pro ceteris disciplinis, alumni annua pericula de musica sacra obire tenentur.

6° Idoneus Magister musicae sacrae habeatur, qui ad omnes effectus Collegio Professorum cooptabitur [2].

7° Inter clericos Scholae cantorum institutio provehatur ad sacram polyphoniam bonamque musicam liturgicam optime exsequendam [3].

8° In ordinariis praeceptionibus liturgiae, moralis disciplinae, iuris canonici, quae theologiae tironibus impertiuntur, ne ea omittantur, quae ad principia legesque musicae sacrae propius accedant [4].

Art. II - *In Scholis musicae sacrae*

Can. 68. § 1. Superiores musicae sacrae scholae pro viribus sustineantur et evehantur; ubi autem non sint, ad ea constituenda opus conferatur [5].

§ 2. Ordinarii autem tum locorum quum religiosi ad Romanum Pontificium Institutum de musica sacra adlectos mittant iuvenes

---

[1] CA n. I - II.

[2] Epistula S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus d. 15 Augusti 1949 (*A. A. S.* vol. 41, pag. 618 s.)

[3] MP n. 25.

[4] MP n. 26.

[5] MP n. 28

sacerdotes, sincere exornatos spiritu liturgico, peculiari quodam donatos ingenio musico et sufficienti munitos praeparatione, qui, requisitum tirocinium emensi, uberem in dioecesi et praecipue in Seminario aliisque ecclesiasticis institutis apostolatum liturgico-musicalem explicare valeant [1].

Cap. III - DE RESTITUTIONE SCHOLARUM CANTORUM

Can. 69. § 1. *Cappellae musicorum* renoventur ac revirescant ubi divini cultus frequentia et amplitudo maiorem cantorum numerum exquisitioremque eorum delectum postulant [2].

§ 2. Curae quoque erit ut apud Templa, saltem praecipua, antiquae *Scholae cantorum* restituantur [3].

§ 3. *Scholae puerorum choralium* non solum apud maiora Templa et cathedrales instituantur, ut ipsorum voces, iuxta can. 48 § 2 virorum choris sese adiungant; sed etiam penes minores et parociales aedes excitentur [4].

CONCLUSIO

Can. 70. Denique chori magistris, cantoribus, ecclesiasticis viris, seminariorum, collegiorum, sodaliumque religiosorum moderatoribus, Curionibus, Templorum rectoribus, collegialium cathedraliumque Ecclesiarum Canonicis, atque praecipue Dioecesium Ordinariis commendatur ut omni diligentia sapientibus hisce reformationibus faveant, iamdiu desideratis atque ab omnibus constanter invocatis, ne ipsa Ecclesiae auctoritas, quae non semel eas proposuit, nunc autem rursus suadet, in contemptionem adducantur [5].

FLORENTIUS ROMITA

---

[1] Epistula S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus d. 15 Augusti 1949 (*A. A. S.* vol. 41, pag. 618 s.). Epistula S. C. de Religiosis d. 11 Aprilis 1951 n. 2545/51.

[2] CA n. V.

[3] MP n. 27.

[4] CA n. VI.

[5] MP n. 29.

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

CANONI ENFITEUTICI

CHIARIMENTI SULLA RECENTE LEGGE DI REVISIONE

La L. 1 luglio 1952 n. 701 (in *Gazz. Uff.* 5 luglio n. 154) contenente « Norme in materia di revisione di canoni enfiteutici e di affrancazione » [1] non presenta, a quanto pare, eccessive difficoltà di interpretazione. Se però rimanesse qualche oscurità, nonostante i chiarimenti che seguono, si cercherà di fornire le maggiori delucidazioni possibili.

L'art. 1 della legge prevede un aumento dei canoni in danaro nella misura di sedici volte l'ammontare dovuto alla data del 28 ottobre 1941. Per economia di giudizi, ad evitare cioè perizie e contestazioni senza fine circa la misura della effettiva proporzione fra valore del fondo e del canone, e relativamente a tutte le enfiteusi, si sono anzitutto escluse dalla rivalutazione i canoni delle enfiteusi sorte dopo il 28 ottobre 1941, e si è stabilito un aumento automatico: non dovendo questo giungere « fino a sedici volte », ma essere senz'altro non meno e non più di sedici volte l'ammontare dovuto alla data del 28 ottobre 1941. Tale criterio è stato adottato dal legislatore dopo lunghe considerazioni circa la sua opportunità. Perciò l'aumento è stato fissato in una misura non elevata, che è per ogni enfiteusi, in qualunque data sia sorta, notevolmente inferiore all'aumento dei valori operatosi negli ultimi anni.

Lo stesso primo articolo esclude la retroattività della rivalutazione, facendo decorrere quest'ultima dal 20 luglio 1952, data di entrata in vigore della legge.

Proprio per non frustrare i motivi ora cennati, circa la inderogabilità del massimo di sedici volte di aumento, l'art. 2 della legge coordina questa eccezionale rivalutazione con quelle normali previste dal codice civile. Come è noto, l'art. 962 introdusse per la prima volta la possibilità della revisione del canone, coi limiti, però, di tempo (ogni dieci anni) e di valore (risultasse almeno raddoppiato o ridotto a metà rispetto a quello iniziale o già revisionato). Ma una disposizione transitoria (art. 144) previde altri limiti per le enfiteusi costituite prima del 28 ottobre 1941: la revisione poteva chiedersi solo dopo il decorso di tre anni da questa data e non poteva raggiungere più del doppio o della metà del vecchio canone, oltre all'analogo limite quale presupposto necessario. Ove, quindi, per queste enfiteusi il canone sia stato già portato al doppio, potrà ulteriormente moltiplicarsi per otto, ma non per sedici volte. Il primo comma dell'art. 2 stabilisce espressamente tale assorbimento della precedente revisione, ma ci pare che sia pleo-

nastico rispetto al primo comma dell'articolo 1 che rapporta l'aumento di sedici volte alla misura del canone corrisposto alla data del 28 ottobre 1941, e cioè prima di ogni revisione prevista dagli artt. 962 e 144.

La legge prevede a favore del concedente una revisione eccezionale rispetto ai limiti fissati normalmente dalle disposizioni ora citate. Pertanto, col secondo comma dell'art. 2, si è voluto equilibrare il rapporto, prevedendo anche a favore dell'enfiteuta la possibilità di una revisione eccezionale in diminuzione fuori dei termini stessi, se naturalmente i valori dovessero essere sconvolti, in senso inverso, nei prossimi anni.

La legge è entrata in vigore, come si è detto, il 20 luglio 1952. Se a questa data sia pendente in primo, in secondo grado, o dinanzi alla Suprema Corte un giudizio di affrancazione del canone, dovrà rivalutarsi il capitale di affranco depositato uniformandolo alle nuove disposizioni (principio dello « ius superveniens »). Se l'affrancante non provveda spontaneamente ad integrare il deposito, e nelle stesse forme previste dal codice civile, dalla L. 11/6/25 n. 998 e dal R. D. 7/2/26 n. 426, l'autorità giudiziaria adìta, su iniziativa del concedente o d'ufficio, dichiara insufficiente la somma depositata ordinandone l'integrazione.

E' inutile dire che i canoni nel frattempo maturati non sono dovuti perchè, ove la procedura d'affranco venga portata a compimento regolare, il trasferimento della piena proprietà all'enfiteuta si opera con effetto *ex tunc*, al momento, cioè, della dichiarazione d'affranco, nonostante che solo successivamente sia stato integrato il capitale depositato.

Per quanto riguarda i canoni in natura, non è stata prevista alcuna revisione eccezionale per rimediare agli effetti della svalutazione monetaria in quanto che la corresponsione in natura del canone non risente tale svalutazione, ed il calcolo in danaro, ai fini dell'affranco, per gli anni successivi al 1944, importa una media di valori proporzionati alle oscillazioni monetarie. Ma è pur vero che le medie decennali, comprendenti i valori pecuniari di anni precedenti al 1944, sono notevolmente intaccate dalla svalutazione monetaria. A riportare l'equilibrio dei valori almeno per i procedimenti di affranco ancora in corso, il secondo comma dell'art. 3 rivaluta la media, riportandola al decennio antecedente all'entrata in vigore della legge, con l'eliminazione in tal modo di quasi tutti gli anni, in cui abbia inciso la svalutazione monetaria. Circa la procedura per aggiornare i capitali depositati, vale quanto detto sopra a proposito dei canoni in danaro. F. Santosuosso

[1] Il testo della legge, con una breve nota di commento, è stato pubblicato nel precedente numero del *Monitor Eccl.* vol. 77, pag. 288-291.

L'ADULTERIO NON PUNIBILE EX ART. 561 II° COMMA C. P. E L'ART. 151 C. C.

1°) La sentenza 5 gennaio 1951 n. 19 della Suprema Corte di Cassazione [1] ha risolto una questione della massima importanza statuendo quali rapporti corrono tra il delitto di adulterio non punibile in sede penale « per ingiusto abbandono » (art. 561 II° comma C. P.) e l'azione promossa — in sede civile — per colpa del coniuge adultero penalmente non punibile.

L'importanza della decisione non risiede tanto nel fatto che la specie giuridica risolta non ha — almeno per quanto ci risulta — precedenti giurisprudenziali e non è stata trattata espressamente in dottrina, quanto perchè per essa si è fatta — secondo il nostro modesto avviso — un'applicazione sostanzialmente inesatta di principii fondamentali « in iure naturae »; principii che — di regola — non contrastano con la norma obiettiva se di questa si valuti diligentemente l'intima portata.

In sostanza il Supremo Collegio doveva decidere — giusta i termini del ricorso — quale correlazione passa tra la norma che enumera l'adulterio tra le cause di separazione personale per colpa del coniuge adultero (art. 151 C. C.), e la norma che dichiara l'adulterio non punibile se commesso dal coniuge « ingiustamente abbandonato » (art. 561 II° comma C. P.).

A parte che aderiamo senza riserve alla soluzione concreta data dal Supremo Collegio alla fattispecie esaminata [1], non ci persuade il principio enunciato in sentenza »... il giudice civile chiamato a giudicare di questa eventuale pretesa, (separazione personale per violazione dell'obbligo di fedeltà coniugale), *non ha ragione alcuna di vedere ed accertare se l'adulterio*, che si allega come causa di separazione, *sia stato oppure no commesso in circostanze tali* che, considerato come reato, *ne potrebbero escludere la punibilità, perchè una simile indagine — ripetesi — è del tutto estranea ai fini della applicazione della sanzione civile che dal coniuge offeso s'invoca* ».

Riassumiamo il nostro punto di vista nei seguenti termini [2].

2°) Il diritto penale — come esattamente ricorda la Suprema Corte — tutela il « bonum publicum », cioè quell'interesse che

---

[1] Sez. I° - Pres. *Anichini* - Rel. *De Liberti* - P. M. *Casoli*.

[2] La Suprema Corte ha respinto il ricorso avverso la sentenza che dichiarava la separazione per colpa della donna.

[3] In *Giurisprudenza completa della Suprema Corte di Cassazione* I° Quadr. a. 1951 abbiamo mosso sommessa critica alla motivazione della sentenza: critica che rinnoviamo su queste pagine.

la società organizzata fa proprio, a prescindere dalla lesione che un dato fatto può provocare nella sfera dei diritti e degli interessi individuali.

Ciò è tanto vero che — ai fini della tutela giuridica penale — la circostanza che l'interesse offeso del reato abbia o non abbia il carattere di un diritto soggettivo, è del tutto irrilevante.

Chè anzi il legislatore — attraverso la norma penale — tutela i diritti soggettivi in maniera *autonoma e diretta* come unica espressione dell'interesse giuridico dello stato alla osservanza dei propri imperativi di carattere penale, e prescinde dalla tutela che la norma civile, amministrativa ecc. accorda ai diritti medesimi.

La norma non-penale, con altrettanta autonomia, tutela i diritti soggettivi dei singoli, nulla rilevando che un dato fatto abbia violato, oltre che l'interesse individuale, anche l'interesse della collettività.

Uno stesso fatto — dunque — per finalità assolutamente diverse può essere considerato dalla norma penale *e* da norma di altra natura.

E sotto il duplice aspetto civile e penale il legislatore considera l'adulterio, il quale, per determinare profondo turbamento nell'ordinamento delle famiglie, per essere spesso causa di gravissimi delitti contro le persone, per costituire violazione dell'obbligo di fedeltà assunto dai coniugi nell'atto del matrimonio, è previsto come delitto perseguibile a querela di parte e come motivo di separazione personale.

Orbene la assoluta indipendenza degli interessi tutelati dalla legislazione penale e dalla legislazione civile costituisce l'esatto presupposto di diritto da cui la Corte ha preso le mosse per risolvere il caso de quo.

Non è vero — afferma infatti la Corte — che sia soltanto la legge penale a fornire i criteri necessari per stabilire se esiste un adulterio come causa di separazione personale dei coniugi: è vero al contrario che l'art. 151 C. C. — quando pone tra le cause di separazione personale dei coniugi l'adulterio — non può riferirsi unicamente alla nozione di adulterio come illecito penale.

3°) L'art. 561 C. P. stabilisce che non è punibile la moglie adultera quando il marito l'abbia indotta o eccitata alla prostituzione ovvero abbia comunque tratto vantaggio dalla prostituzione di lei: ed aggiunge che neppure è punibile il coniuge adultero « ingiustamente abbandonato dall'altro ».

L'art. 151 C. C. precisa che « la separazione può essere chiesta per causa di adulterio, di volontario abbàndono, eccessi, sevizie, minacce, ingiurie gravi ».

Due questioni, allora, sorgono dal combinato disposto degli art. 561 C. P. e 151 C. C.

Venuto meno l'interesse pubblico a punire il fatto-adulterio, per ciò stesso viene meno il diritto soggettivo del coniuge di ottenere la separazione personale per colpa del coniuge adultero penalmente non perseguibile o non punibile?

La Cassazione ha risposto di no.

L'adulterio non-punibile penalmente è « quo talis » in ogni caso causa di separazione personale per colpa del coniuge adultero?

La Cassazione non si è pronunziata espressamente, mentre — date le premesse — ci si attendeva un'altra risposta negativa.

E' necessario distinguere l'ipotesi dell'adulterio commesso dalla moglie quando il marito l'abbia indotta o eccitata alla prostituzione, ovvero abbia comunque tratto vantaggio dalla prostituzione di lei, dalla ipotesi dell'adulterio commesso da un coniuge legalmente separato per colpa dell'altro coniuge ovvero da questo ingiustamente abbandonato.

Nel primo caso, (adulterio provocato dallo stesso coniuge), è fuori dubbio che il marito non può trarre *dalla obiettiva illeceità del fatto*, un motivo giuridicamente idoneo perchè sia dichiarata la separazione personale per colpa della moglie.

La volontarietà di costei nella consumazione dell'adulterio si appalesa giuridicamente irrilevante, e ad essa prevale ed è assorbente — sotto il profilo giuridico oltrechè morale — la volontà del marito: il quale non può pretendere ad un tempo di violare la norma obiettiva che tutela l'obbligo della fedeltà coniugale, e di esserne tutelato.

Basti considerare che oggetto della domanda e del giudicato di separazione personale per colpa non è tanto il fatto costitutivo dell'azione, (adulterio), quanto piuttosto il « diritto » ad ottenere *lo stato* di separazione —; ed allora, negando al coniuge — nella ipotesi in esame — l'utile esperimento dell'azione, non si nega l'esistenza del diritto subiettivo alla fedeltà dell'altro coniuge, si nega soltanto la relativa tutela giudiziaria.

Procedit more philosophico, et non theologico, unde ipsis documentis magisterii ecclesiastici utitur non ut auctoritatibus dogmaticis et locis theologicis, sed ut textibus utique a suprema Auctoritate in Ecclesia datis ad ipsas fundamentales normas juris naturalis vindicandas et tutandas, contra errores et aberrationes nostri temporis, etsi multae conclusiones etiam superiori lumine Revelationis illustrari possunt.

Limites huius tractationis ab ipso Auctore declarantur, cum in spatio unius semestris, 60/70 horas complectentis, disciplina tradenda erat. Campos aperire studentibus potius ipse intendit, ut secundum desiderium et necessitatem propriam unusquique iter prosequatur ad ea quae hic synthetice traduntur ulterius investiganda vel enucleanda. Attamen in hoc volumine multa validissima traduntur, quae perutilia esse possunt iis qui theoretice vel practice rebus socialibus incumbunt.

En generalis divisio tractationis: De societate in genere - De societate domestica - Ethica oeconomica - Ethica politica - Ethica internationalis -.

Problemata recte ponuntur, vivido sensu, ut aiunt, « actualitatis ». Clare traditionalis doctrina exponitur, quae etiam cum recentioris temporis systematibus comparatur, confirmatur, completur. Auctor non in sphaera purae abstractionis movetur, sed ad concretam « situationem » socialem constanter prospicit et in eam inserit principia universalia. Sapienti moderatione agit de quaestionibus adhuc valde exagitatis et plenis difficultatibus, ex. gr. de iusto salario, de regimine salariatus et de regimine corporativo, de natione, de relatione inter politicam et ethicam, de munere civium electorum; et de familia, de proprietate privata, de femminismo, de eugenismo, de educatione, de munere sociali

capitalis et de capitalismo, de valore humani laboris, de hodiernis quaestionibus circa societatem internationalem.

Propterea et in scholis et extra scholas volumen multos iuvare potest. Stylus perspicuus, eloquium latinum clarum et concisum.

R. Spiazzi O. P.

Pierre Ménard, *L'exemption des Séminaires de la jurisdiction paroissiale.* Ottawa, Les éditions de l'Université d'Ottawa, 1951. In 8°, pp. XII-192.

Auctor, qui sacerdos est ex archidiocesi Marianopolitana, huiusmodi dissertationem, doctoris dignitatis assequendae gratia in juris canonici provincia subtextam, typis edidit in voluminum serie, quae per Octaviensem Studiorum Universitatem in lucem proditur.

Exemptionis argumentum Seminariorum a paroeciali jurisdictione, de qua in can. 1368 cavet Legislator ecclesiasticus, nondum antehac, quod nobis scire liceat, ex toto, ut in praesenti opere, excussum fuerat.

In prima libri parte eventus exponuntur quos Seminaria, quoad hanc rem, usque ad evulgatum Codicem juris canonici experta sunt. Post memoratas scholas apud episcoporum, presbyterorum aut monasteriorum domos olim institutas, leges quibus Synodus Tridentina Seminaria proprie condi regique jussit dilucide recoluntur. Ubi animadvertitur Sacram Synodum Seminaria curionum vigilantiae minime subduxisse, qui proinde jura sibi propria retinebant cum in sacras aedes tum in personas earum utentes hospitio. Neque equidem S. Carolus Borromaeus, neque Benedictus XIV istiusmodi negotii mentionem iniciunt. Ratione dumtaxat privilegii, Sedis Apostolicae auctoritate obtenti, poterant sacra ephebea a paroeciali jurisdictione liberari, quandoquidem ipsi religiosi sodales votorum sollemnium, qui alicui Seminario moderabantur, quod ad hoc spectabat, episcopali et paroeciali obnoxii erant potestati, prout Litteris confirmatur Apostolicis, quibus Summus Pontifex Urbanus VIII, Romanum Seminarium sodalium e Societate Jesu curis committens, eos Ordinario loci, videlicet Generali in Urbe Vicario, ipsius Seminarii administrandi causa subiectos voluit.

Haud multo post celebratam Tridentinam Synodum exemptionem a paroeciali jurisdictione regimini favere sacrorum Seminariorum palam fit. Quocirca facile ea apostolico indulto exempta temporis decursu redduntur, adeo ut cum Codicis prodit praeceptum exemptiones paene generales appareant.

Auctor singula privilegia post Concilium Tridentinum habita minime quidem recenset; verum nonnulla excutit peculiaria, ut iis vicinitatem esse praestituat, eaque spectant Ordinem Clericorum Regularium a Somascha (1606-1659), Collegium Urbanum de Propaganda Fide (1627), sacra ephebea sodalibus e Societate Jesu in Brasilia concredita (1753), Seminarium Conimbricense (1757) atque Aveirense (1804), Seminarium Romanum (1824) ac Pium (1853), Collegium Parmense a Maria-Aloisia (1848), Seminaria presbyteris e Societate Mariae, a S. Sulpitio atque a

S. Philippi Nerii Oratorio concredita (1860-1864), Setinum (1864), Bercetense (1891) ac Lucense (1906).

Altera voluminis pars accuratam continet explanationem can. 1368, in tria dispertitam capita, quorum primum de natura, alterum de subiecto, tertium de exemptionis obiecto pertractat. At haec dispertitio omnino distincta non videtur, cum singulae partes invicem compingantur; perspicuitati tamen explicationis multum prodest.

Ut naturam ostendat exemptionis, Auctor in quo consistat significare nititur paroecialis jurisdictio; hancque infert ad rectorem Seminarii pertinere, in casu, una excepta benedictione nuptiarum atque confirmationis administratione urgente mortis periculo. Quapropter rectoris potestati subduntur cum sacri ephebei aedes, rusticanis, juxta communem opinionem, haud seclusis, tum omnes et singuli qui in iis quacumque de causa degunt. Jura denique atque officia expenduntur « paroecialia » rectoris propria, sive quod ad sacramentorum sive quod ad aliarum gratiarum attinet dispensationem.

Opus hocce, laudabili quidem ordine et dicendi claritate digestum, utilitati, nostro judicio, profecto erit et canonum peritis et sacrorum Seminariorum moderatoribus.

ANTONINUS ROMEO

PAUL-HENRI LAFONTAINE, *O. M. I.*, *L'Évêque d'ordination des religieux des debouts du monachisme à la mort de Louis le Pieux* (840), Etude historico-juridique pag. 267. - Les Editions de l'Université d'Otawa, 1951.

Investigatio in hac dissertatione limitatur ad monachismum occidentalem. In duas partes opus dividitur: prima usque ad S. Gregorium, altera usque ad Ludovicum Pium; ex quo tempore, soluto imperio francorum, monachismus potius protectionem quaerit Romanorum Pontificum.

Cl. Auctor historiam institutionis, non singulorum factorum delineat.

Fontes praecipue adhibiti sunt textus legales et vitae sanctorum.

Prima pars tria capita comprehendit, in quibus post caput praeliminare circa initia monachismi relate praecipue ad argumentum dissertationis (p. 17-41), consideratur legislatio quinti saeculi, in Conciliis Chalcedonensi et Arelatensi (a. 455) inspecta (42-55), sexti saeculi in Gallia, Hispania, Africa, in regulis monasticis et in legibus civilibus (55-81).

In altera parte argumentum investigatur apud S. Gregorium (84-94), in litteris episcopalibus emancipationis monasteriis concessis (117-158), in regiis privilegiis (159-173). Pro primis temporibus aetatis carolingiae attenduntur, praeter leges civiles, bullae etiam pontificiae, et investigatio protrahitur per omnes occidentis regiones (179-214). In cap. XI aggreditur cl. Auctor « Essai de systematisation », iuxta diversas classes Episcoporum qui tunc temporis in Ecclesia sacros Ordines conferre poterant: Episcopi dioecesani, comprovinciales, corepicopi, episcopi cum iurisdictione in monasterium alterius dioecesis, apostolici, dimissionarii,

episcopi dioecesani cum potestate abatiali, monachi charactere episcopali insigniti (p. 215-234).

Conclusiones praecipuae hae sunt: Usque ad medium saeculum IV monachi sunt laici, nec ad Ordines promoventur, nisi per exceptionem. Si quis Ordines recipere debeat, ab Ordinario dioecesano eos recipit; hoc explicite statuitur in Concilio Carthaginensi a. 401. Concilium Chalcedonense a. 451 principium generalis subiectionis monachorum Ordinariis recolit, et post quatuor fere annos Conc. Arelatense principium applicat ordinationi; sed addit conditionem magni momenti, quae Episcopi potestatem limitat: *necessitatem consensus abbatis.* Aliquae exceptiones adsunt legi generali subiectionis Ordinario dioecesano in Ecclesia Africana, sed Conc. Carthaginense a. 536 disciplinam generalem affirmat.

S. Gregorius I idem principium retinet, sed exhortatur Episcopos ut procedant *sine mora*, ne ad alium recurrere debeant monachi.

Aetate merovingia exemptiones multiplicantur, concessae generatim ab ipsis Episcopis et a regibus confirmatae. Tempore Caroli Magni et Ludovici Pii restituitur vetus disciplina, et fortiter coarctatur corepiscoporum et episcoporum vagorum potestas. Romani Pontifices usque ad medium saeculum IX parcissime usi sunt suprema potestate in exemptione monastica evolvenda.

Peculiaris omnino disciplina in Ecclesiis celticis, in quibus non aderat distinctio inter Episcopum localem et potestatem Abbatis, quia saepe ipsi Abbates erant Episcopi, vel saltem potestatem territorialem obtinebant.

« Tirons une conclusion d'ensemble. L'Eglise d'Occident a tendance à maintenir le droit de l'évêque sur les moines de son territorie, en particulier pour l'ordination. En Irlande et en Bretagne, d'une part, en Afrique, de l'autre comme à la périphérie de l'Eglise d'alors, - les monastères jouissent d'une liberté beaucoup plus étendue qu'ailleurs. Et même dans le centre de la chrétienté, à l'époque mérovingienne, le régime de la juridiction épiscopale en matière d'ordination se dissout, sous l'influence du monachisme irlandais et de la decadence de la hiérarchie des Gaules. Avec l'affermissement de l'Eglise carolingienne, la discipline jusque-là traditionnelle reprendra tous ses droits ».

Totum opus exhibetur tamquam commentarium illorum verborum cl. romanistae Girard: « n'y a pas d'enseignement qui puisse mieux empêcher de considérer le droit d'un moment historique soit comme un accident arbitraire... soit comme une œuvre immutable et éternelle ».

A. Gutiérrez

P. L. G. Fanfani O. P. - *Il Diritto delle Religiose conforme al Codice di Diritto Canonico*, ed. III, Rovigo, 1950.

Cl. P. Fanfani O. P., de iure Religiosorum optime meritus, inter cultores Iuris Canonici non ultimum tenet locum, sive ob plurimos bene compositos libros sive ob gravia eaque praeclara munia quae tum

apud Ordinem tum apud Apostolica Dicasteria exercuit exercetque. Praesens volumen 345 paginis cum appendicibus atque alphabetico rerum indice, omnia argumenta quaestionesque tangit quae foeminas religiosas directe aut indirecte concernunt, hocque dilucide et brevi. Distinctis enim titulis generales notiones status religiosi atque religiosi Instituti eiusque membrorum, practice, iuridice, historice brevissime tradit, de erectione et suppressione Instituti, provinciae, domus agit, de regimine sive externo sive interno Religiosarum, de Superiorissis praesertim quoad earum electionem aut postulationem, de regimine fori interni sacramentalis vel extrasacramentalis nempe de confessariis et capellanis, de bonis temporalibus, de admissione subiectarum in Religionem eiusque gradibus atque connexis et specifice de votis, de obligationibus Religiosarum quae ex lege proveniunt aut ex votis vel ex peculiari statu perfectionis, de privilegiis quae et quatenus religiosis foeminis competere possunt, de cultu divino sive quoad loca sacra sive quoad ministros in functionibus et ministeriis ecclesiasticis pro religiosis foeminis competentes sive quoad officium divinum a religiosis foeminis persolvendum sive quoad cultum Eucharisticum et quoad indulgentias, de scholis et missionibus, de transitu Religiosarum ad aliud Institutum aut ad aliam classem eiusdem Instituti, de Religiosarum exitu ab Instituto, sive voluntarie sive coacte fiat, sive ad tempus sive definitive. Postremi tuo tituli de Societatibus agunt mulierum in communi viventium sine votis publicis deque Institutis saecularibus. Sequuntur sex appendices quae nonnulla documenta referunt. Perutili instruitur volumen alphabetico rerum notabilium indice, ad convenientem dumtaxat consultationem.

Revera, Cl. Auctor opus sibi peropportune proposuit quod prae manibus haberent Religiosae, latini sermonis plerumque ignarae, praesertim sui Ordinis, atque illae quae dominicano titulo decorantur et dominicano spiritu plus minusve imbuuntur. Quam bene in suo proposito successerit Auctor haec tertia editio operis ostendit, quae recentibus quoque apostolicis decisionibus aucta atque accuratius hinc inde redacta fuit atque augmentata. Verum nonnulla invenimus legentes quae haud leviter scientificae et practicae praecisioni atque claritudini detrectant, praesertim quod sermo iuridicus iam a longe in schola et foro elaboratus quamlibet impraecisionem respuit, et Religiosae, quae, ut solet, in Iure Canonico minus versantur, atque, sit venia verbo, minus aptae retinentur ad conceptus iuridicos perfecte comprehendendos, magna eorumdem conceptuum claritudine indigent, ne in errorem trahantur. Ita v. g. italica versio Canonum non semper respondet textui Codicis (cfr. v. gr. can 487, pag. 1): e contra iam adest versio auctorizata, etsi imperfecto sermone, quae, pro religiosis latina lingua expertibus, venalis prostat apud Vaticanum a libris vendendis ergasterium. Terminus insuper « *Institutum* » technicus est in iure Religiosorum nec debet impraecise adhiberi sine sufficienti explicatione. Impraecisio terminorum abunde notatur, ut v. g. in pag. 133 in penultima linea quoad vocem « monastero »; in pag. 135 quoad vocem « religiose » (n. 4°); etc.

Huiusmodi aliaeque mendae, etiam typographicae, nocent claritudini conceptuum. Quare vehementer cominamur ut volumen, magis ac magis in subsequentibus editionibus perpolitum, aptum reddatur, quod uberiores fructus iuridicae afferat culturae.

AUGUSTINUS PUGLIESE

VAN ACKEN, *Dottrina della Religiosa*, 2ª ed. ital. di A. M. Montabone, Napoli, d'Auria, 1948.

Parva mole multa reapse continet volumen, omnia clare, dilucide atque sororum monialiumque captui accommodata complectens, quae obligationes et iura atque status excellentiam religiosarum concernunt. Decem in partes distribuitur materia: de statu religioso, in qua et de perfectione christiana disseritur, de speciebus Religionum necnon et de statibus perfectionis, nempe de Religionibus, et de Institutis saecularibus; de vocatione religiosa, in qua proprie de ingressu in Religionem fit sermo; de vita spirituali Religiosae, nempe de exercitiis pietatis deque mediis ad salutem; de votis religiosis in genere quoad eorum essentiam et quoad eorum emissionem, et in specie quoad eorum distinctionem a virtutibus correspondentibus et quoad obligationes inde provenientes; de obligationibus et privilegiis Religiosarum sive ex iure communi singulari sive ex iure particulari emanantibus; de gubernio Religionum, in qua hierarchia superiorum interna et externa exponitur; de rerum temporalium administratione; de sepultura ecclesiastica Religiosarum; de egressu e Religione, in qua et de transitu ad aliam Religionem, de saecularizatione, de fuga et apostasia a Religione et de dimissione agitur.

Ut iam ex expositione primo obtutu apparet, Auctor voluit, iuxta ordinem Codicis, totam materiam iuridicam, cum ascetica correspondenti mirifice compositam, modo facili et plano exponere, atque insimul principia moralia et liturgica non negligere.

Haec secunda editio praeterea notabiliter adaucta prae prima et recentissimae evolutioni iuris Religiosorum accommodata fuit.

Minus praecise loquitur Auctor de Institutis Saecularibus pag. 55 n. 29. Illa enim Instituta proprie nec sunt nec dicuntur religiosi sed sunt vere in statu perfectionis publice ab ecclesia adgnito; ideo non est characteristicum eorum quod non omnes habeant vitam communem. Sed in p. 79 n. 47 et expresse in p. 92 ss. impraecisiones corriguntur. Sat breviter agit auctor de Societatibus in communi viventium sine votis: quae ad finem intentum haud leviter momentosae videntur.

Ita etiam minus placet sermo improprius et locutio non technica quam Auctor quandoque adhibet fortasse ut melius intelligant lectrices iuris plerumque ignarae, ut « Codice Ecclesiastico » pro canonico, « decreto » pro canone, et similia. Leviter - sed hic applicandus non videtur axioma morale: parum pro nihilo reputatur - immutantur data astronomica in prospectibus gnomicis p. 222-223, et graviter in prospectu « practico » p. 224: quasi si v. gr. a die 4 ad diem 20 februarii Liceae (Lecce) liceret cibum sumere transactis 14 minutis a media nocte, quae

in horologiis bene regulatis signatur, dum illic media nox iam a 26 minutis transacta astronomice sit! Sunt insuper diversae mendae quae typographo attribuimus, ut v. gr. quod Espediae (La Spezia) tempus praecedat viginti(!!) minutis prae tempore locali medio-Nescimus cur cl. Auctor distinctionem ponit inter obsonia quae immediate ante mediam noctem ponuntur in ore lente sese liquefacientia, et obsonia quae ante mediam noctem, sed non immediate, in ore ponuntur et post mediam noctem in ore adhuc inveniuntur. Nonne licitum est sumere aliquid ante mediam noctem? Quare igitur (p. 225) quae immediate ante mediam noctem in ore ponuntur ieiunium frangunt, quae autem non immediate, etsi post mediam noctem in ore inveniantur, non frangunt?

Ad vitandas inexactas interpretationes melius addita fuisset clausula quod Societates sine votis publicis nihilominus sunt in statu perfectionis ab Ecclesia adgnito (p. 247).

Auctor denique in p. 305 verba depromit ex *Müncker*, Die psychologischen Grundlagen der Katholischen Sittenlehre, circa sic dictam educationem sexualem: quae minus opportuna videntur in praesenti tractatu, qui omnibus feminis religiosis destinatur, eruditis et indoctis. Quae enim reprobantur ab Ecclesia ne in communi fiant et tantum in casibus particularibus permittuntur, non videntur omnibus proponenda.

Circa clausuram papalem in proxima editione optima erit mentio de mutationibus, mitigationibus, innovationibus a recenti Const. Ap. *Sponsa Christi* adductis (p. 307 ss.). Pariter quae ad quinquennalem relationem referuntur novis recentibus Apostolicis praescriptionibus conformanda erunt (p. 360).

His et aliis levioribus mendis aut impraecisionibus minime obstantibus, opus quam maxime commendatur. Volumen insuper accurato rerum indice exornatur, ad consultationem perutili, necnon et indice canonum atque bene distincta et selecta bibliographia.

Augustinus Pugliese

P. Matteo Conte da Coronata, *Il Terzordine Francescano*, Rovigo, 1949. Editio Tertia.

Clarissimi P. Matthaei a Coronata scripta iuridicarum disciplinarum cultoribus ignota non sunt, immo et eruditione iuridica et solidis principiis et profunda doctrina quam maxime commendabilia. Quinque titulis absolvitur hoc manuale canonicum, quod, iuxta mentem Auctoris, pro textu in scholis theologicis Ordinum Franciscalium, ad Tertium quod attinet Ordinem, inservire deberet: de natura, origine, varietate Tertii Ordinis prae primis agitur; deinde de adgregatione sive nempe de subiecto passivo et activo adgregationis sive de modalitatibus ipsius; de obligationibus Tertiariorum ex Regula et ex legibus ecclesiasticis; de gubernio Tertii Ordinis sive externo sive interno, de Officialibus et de foederationibus sodalitatum; ultimo, de iuribus et privilegiis. Indul-

gentiarum summariis et kalendariis necnon et optimo rerum indice analito volumen exornatur.

Bene de suo opere scripsit Auctor in praefatione: « Io ho la coscienza di aver cooperato con questo volume al maggiore e più fruttuoso sviluppo di questa associazione di fedeli già tanto benemerita della Chiesa nel passato, e dalla quale la Chiesa si ripromette ancor molto bene ai nostri giorni e per l'avvenire ». Vere enim perutile opus confecit, iis, quibus destinatur, opportunissimum et quam maxime commendabile. Insuper, Adsociationes fidelium, ut notum est, semper fuerunt traditionalis in Ecclesia participatio laicorum ad apostolatum ecclesiasticum, maxime, pro Tertiis Ordinibus, ad propriam singulorum sodalium sanctificationem in mundo obtinendam conferens. Siquidem fideles in eis inveniunt aptum medium evulgationis spiritum perfectionis, ad quem totis viribus essentia sua tendit Ecclesia, et ita fermentum constituunt in mundo novae creaturae.

Incipit Auctor ostendendo positionem Tertii Ordinis in legislatione canonica vigenti: eminet enim inter laicorum Adsociationes et iure meritoque, cum certo modo intimius participet de fine generali statuum perfectionis in Ecclesia adgnitorum: est nempe vita religiosa seu perfectionis adquirendae singulis in saeculo viventibus aptata et iuxta spiritum primi Ordinis adipiscenda, ideoque distinguitur a statibus perfectionis proprie dictis sicut distinguitur a coeteris fidelium adsociationibus. Deinde breviter, clare et perspicue disserit de origine historica Tertii Ordinis deque eius utilitate privata et publica. Decursu saeculorum numerosae Adsociationes Tertiariorum in vera Instituta perfectionis mutatae sunt cum votis sollemnibus aut simplicibus aut etiam sine votis publicis.

Sunt Tertiarii veluti individualiter viventes et sunt qui proprie in sodalitatibus coadunantur: quae sodalitates, post canonicam erectionem tot personas morales constituunt, sive organisentur ad modum corporis organici sive non, cum iure possidendi et administrandi propria bona, sive habeatur completa officialium internorum ordinatio sive non. Eriguntur iure ordinario sodalitates ab omnibus Superioribus regularibus Ordinum Franciscalium vel ab horum delegatis cum consensu Ordinarii loci. Describitur deinde forma erectionis cum propriis formulariis. Quaelibet Tertiariorum adsociatio habet propria statuta ab Ordinario loci vel a S. Sede adprobata; quaelibet autem sodalitas adsociationis potest sibi constituere normas speciales pro exercitio suae vitae iuridicae. Sodalitates insuper sub iurisdictione et dependentia manent Ordinarii loci et, qua sodalitates franciscales, sub dependentia Superiorum regularium atque determinatae communitatis Franciscanorum.

Quilibet fidelis, pubes et probus nec impedimentis ecclesiasticis innodatus, sodalitati Tertiariorum adscribi potest; eum autem recipit seu adscribit quilibet Superior regularis Ordinum Franciscalium necnon et quilibet director aut Cappellanus sodalitatis. Formalitates autem admissionis seu receptionis pressius imitantur Religiones, cum postulatu, novitiatu, adsumptione habitus, professione, etc. Etiam in sodalium dimissione Religionem normae imitantur.

Tenentur Tertiarii ad Regulam necnon et ad leges ecclesiasticas pro iis statutas observandas, ut v. gr. debent deferre habitum seu scapulare et cingulum, sub poena amittendi privilegia et gratias spirituales, Tertium Ordinem non derelinquere, perfectionem christianam caritatis aliquo modo exercere, etc. Duplex habetur Tertiariorum gubernium: externum, nempe Romani Pontificis et Sanctae Sedis, Ordinariorum locorum et Superiorum regularium Ordinum Franciscalium, pro sua cuiusvis competentia; moderatorum insuper, Cappellanorum et Visitatorum; et internum, non centralizatum in sodalitatibus anterioribus, centralizatum in recentioribus quod administratoribus bonorum temporalium constet, officialibus et ministris: qui in comitiis canonice eliguntur et propria officia explent iuxta normas Statutorum. Habentur quoque sodalitatum foederationes.

Ultimo cl. Auctor considerat iura et privilegia Tertiariorum; ut ius interveniendi in processionibus, funeribus, aliisque ecclesiasticis functionibus sub propria cruce et cum propriis distinctionibus, ius ad praecedentiam, ius iusta funebria consodalibus persolvendi; privilegium utendi breviario et Missali franciscano pro Sacerdotibus aliisque clericis in sacris nisi ad officium chorale obligentur. Deinde, praemissa brevi sed eleganti et completa de indulgentiis tractatione, enumerat Auctor Tertioriorum indulgentias, incipiens a communicatione cum primo Ordine utpote quae consequitur adgregationem; disserit ulterius de absolutione generali, de benedictione papali, de Portiuncula, aliisque indulgentiis peculiaribus. Ita tractatus vere aptum manuale constituit pro iis omnibus qui ad directionem Tertiariorum vocantur.

Augustinus Pugliese

Mochi Onory, Sergio, *Fonti canonistiche dell'idea moderna dello Stato.* Pubblicazioni dell'Università del Sacro Cuore, N. S. vol. 38. Milano, Vita e Pensiero 1951, XVIII, 305, in 8°.

Nuper nonnulla opera prodierunt, quae doctrinas iuris publici mediae aetatis textibus iuridicis glossatorum illustrare conantur tum inquisitionibus praesertim analyticis singulorum quorundam doctorum cum tractationibus magis syntheticis, quae artiorem latioremve numerum canonistarum atque spatium temporis plus minusve extensum amplectuntur. Omnia huiusmodi conamina multum conferre possunt ad solidiorem cognitionem parandam evolutionis realis systematis politici, quod viri illorum saeculorum excogitabant et practice applicabant. Isti, de facto, iure periti principaliter arma praeparabant spiritualia et verbis scriptisque certabant, ut principia iuris publici efformarentur et in praxim deducerentur. Quapropter non absque nocumento plenae veritatis historicae huiusmodi textus stricte iuridici usque ad nostra tempora nimis ab historiographis negligebantur.

Postquam primum conamen expositionis syntheticae idearum politicarum glossatorum (W. Ullmann, Medieval Papalism, London 1949) satis ad irritum cecidit, nunc opus cl.mi Prof. Mochi Onory laborem nobis exhibet, quo non solum textus glossatorum hucusque, de hac re,

sparsim editi diligentissime colliguntur sed etiam doctrinae politicae circa imperium, iurisdictionem divisam, suprematiam (sovranità), quomodo a canonistis ab anno 1140 ad annum 1234 (a Decreto Gratiani usque ad Decretales Gregorii IX) elaboratae fuerint, proprio singularique ingenio enucleantur, minime neglecta bibliographia, quae hac de re hocque in ambitu prostat.

Opus in quattuor dividitur partes: in prima exponuntur quaestiones quae spectant: historiographiam has res tractantem, historiam ipsam idearum praesertim iuris publici, canonistas-glossatores quoad nomina, notas, methodum laboris, momentum.

In secunda parte deinde motus, fluxus, oppositio, enucleatio sententiarum et opinionum describuntur inde a Decreto Gratiani, apud antiquiores Decretistas non solum scholae Bononiensis sed etiam aliorum Studiorum Generalium et singulorum cultorum iuris canonici Italiae, Galliae, Germaniae, Angliae.

In tertia parte synthesis conclusionesque totius praecedentis evolutionis, a principe Decretistarum, Huguccione, vi propria peractae, explicantur, fundamentum ulterioris discussionis demonstratur.

Quam quidem cl.mus auctor in quarta parte exponit ostendens, quomodo circa argumenta principalia imperii, iurisdictionis divisae, suprematiae a Decretistis et prioribus Decretalistis sententiae sat definitae elaboratae fuerint.

Conclusiones, quas cl.mus Mochi Onory in singulis partibus adstruit procul dubio persaepe novae sunt, quandoque statui praesenti historiographiae medii aevi directe oppositae:

Notionem universalis et exclusivae suprematiae imperii restringit oriens suprematiae notio « regni » et « civitatis », quibus praeest princeps iurisdictione propria praeditus. Quae suprematiae particularis amplificatio sequitur evolutionem « nationalizationis » singulorum Statuum. Dum hac de causa auctoritas imperii universalis civilis et potestas imperatoris, « domini mundi », decrescit, imperium spirituale R. Pontificis crescit, qui iam perdurante lucta cum Imperio civili habita suprematiam Statuum particularium recognoscit. Huiusmodi recognitio non solum evolutionem independentem et perfectionem iuridicam Statuum particularium corroborat, verum etiam imperium spirituale pontificium in dies magis firmat, cum ambae iurisdictiones distinctae appareant et sibi ipsi nullum praeiudicium causentur. Perdurante spiritu unitatis medioaevalis imperium spirituale RR. Pontificum novam inducere incipit notionem suprematiae, quae uti vinculum spirituale omnes alias potestates independentes particulares, Statuum, absque iniuria earum coniungit.

Huguccio hanc evolutionem excipit, amplificat, adornat, complet, ad novas progressiones adducit: Imperator et R. Pontifex distinctum habent ambitum distinctamque iurisdictionem. Imperium Papale spirituale est et sibi subiectos habet tum imperatorem tum principes tum omnes christianos. Qua de causa R. Pontifex hac iurisdictione universali spirituali nitens regionem civilem ingreditur ratione « negligentiae », « criminis », « iudicis » omnium principum, qui « superiorem »

eiusdem ordinis civilis non habent. Quae omnia iuridica veste induuntur mediante, praesertim, causa exemplari organisationis ecclesiasticae episcopatus supremi romani et subordinati localis.

Eodem tempore Huguccio recognoscit plane atque amplius evolvit notionem suprematiae singulorum Statuum: rex in territorio suo eadem habet iura ac imperator in imperio nullique alii subest. Idem dicendum de civitate autonoma. Hac doctrina innuitur, imperium romanum solummodo mediante imperio spirituali, quod reapse omnes amplectitur christianos, existentiam et ambitum adipisci, ita ut e. gr. ius romanum quatenus totum orbem christianum liget, ecclesiastica et papali tantum auctoritate valorem universalem nanciscatur. Qua ratione notionem quidem antiquam « imperii » immutatam esse neminem fugit.

Quas Huguccio, collegit, adornavit, adumbravit doctrinas, posteriore tempore ad has perductae sunt conclusiones definitas:

Figura imperii papalis opera Innocentii III et canonistarum ita circumscribitur: constituit auctoritatem spiritualem, cui omnes christiani subiecti sunt. Non excipiuntur imperatores, reges, principes, qui ergo, non habentes alium superiorem, subsunt Papae ratione approbationis personae qualitatumque moralium, ratione iudicii in casibus spiritualibus « negligentiae » et cuiusvis alius « peccati »; in casibus temporalibus « in subsidium » tantum et « per consequentiam ».

Hac doctrina evoluta nequaquam suprematia singulorum Statuum in propria regione negatur, quinimmo distinctio utriusque iurisdictionis noviter confirmatur. Omnes tamen societates autonomae eorumque capita continentur et coniunguntur imperio papali spirituali.

Qua ratione idea imperii romani rursus et amplius infirmatur. Quod hoc tempore iam theoretice tamquam institutum universale iurisdictionale alios Status complectens plane dissolutum apparet. Loco eius Status particulares tamquam tot regna-imperia accipiuntur: Independentes ab imperatore, plena iurisdictione propria gaudentes, praesertim potestate legislativa - quae iuri romano quoque obrogare valet - proprioque fisco pollentes iuxta regulam: « rex in regno suo est imperator in imperio ». Quae omnia extenduntur quoque ad civitates autonomas. Huiusmodi dissolutio unicae et universalis suprematiae temporalis imperii et constitutio tot « suprematiarum » pari iurisdictione propria gaudentium i. e. Statuum independentium ad ius gentium reducuntur. Ipse R. Pontifex eiusque imperium universale spirituale eis praeiudicium afferre nequit, cum nihil possit in eorum ambitu nisi quod ratione peccati i. e. ratione spirituali admittatur. Itaque ab omni parte theoretice constructum et in praxim deductum est principium: « rex, imperator in regno suo, superiorem in temporalibus non recognoscens ».

Nemo non videt has conclusiones toto caelo differre a sententiis hierocraticis historiographiae hodiernae et sonum novum proferre dissonantem in concentu doctrinarum et opinionum hucusque satis consonanti. Quare opus cl.mi Prof. Mochi Onory ansam praebebit discussionibus non paucis atque - quod est in votis - feracibus, quibus quaestiones argumentaque mature disceptentur atque ponderentur necnon solutiones illustrentur atque cognitiones historicae, quas hodie tenemus, profundiores ac certiores fiant.

Quia deinde multum abest, ut omnes textus glossatorum cognoscamus, novum opus certe certius novis inquisitionibus textuum iuridicorum medii aevi valde favebit. Quibus factis tantum ultimum verbum atque conclusiones absolutae circa eiusmodi doctrinas proferri possunt.

Revera meritum operis eiusque auctoris praecipuum, absque dubio, in hoc consistit, quod textus hucusque notos sparsimque editos maxima diligentia collegit, et elaboratione propria vigore insigni, historiographiae medii aevi novas vias monstravit.

A. M. Stickler

P. Raimondo Spiazzi *O. P.* - *La Madonna nella vita cristiana*, Roma 1952 pp. 590.

Perjucundus semper exstat nuncius de novis in Deiparae laudem libris conscriptis, praesertim cum illi prodeant omnium Christifidelium captui accomodati, quippe *in forma piana... in cui la Madonna sia pre-* « *sentata in modo semplice e sintetico, quale la conosciamo dalla Rive-* « *lazione e la illustriamo nella Teologia, ma senza preoccupazioni di* « *ordine scientifico, con animo e parole di figlio, quantunque con la* « *più scrupolosa fedeltà alla dottrina della Chiesa e al pensiero teo-* « *logico* ». (praef.).

Quam scribendi rationem clarissimus Auctor in suo conficiendo opere prae oculis habuit atque, ad unguem, ad effectum adduxit.

Absoluto proemio (pag. 19-62) in quo hodiernam aetatem jure appellari posse aetatem Mariae commonstratur, Noster universum volumen in tres partes dividit, quarum prima, tredecim capitibus, (pag. 63-168), Dei Matrem ineffabilibus privilegiis a Divina Sapientia ditatam singularibusque titulis coruscantem ostendit; in altera vero parte, octo capitibus, (pag. 169-292) Auctor maternum Beatissimae Mariae Virginis influxum in universam Christianam rempublicam indicat atque illustrat.

Postrema denique parte, viginti capitibus (pag. 293-583), Noster solidis argumentis *fusius* probat quid reapse Maria operetur proindeque quantum Eidem tribuendum, et quoad Sacramentorum confectionem administrationemque (pag. 316 ss) et quoad domesticum convictum universamque hominum consortionem. (p. 486 ss.). Maxima mentione nobis digna visa sunt ea praesertim quae Auctor disserit de suavissima Mariae praesentia in tota Sacerdotum vita, utpote Ipsa gratia plena a Deo vocationis gratiam impetret, in Ara Crucis Virgo et sacerdos servandi hominum generis consors facta, cotidiano Sacrosanto Missae Sacrificio adsit, Apostolorum Regina Divini Verbi praeconum indesinenter laboribus aspiret. (p. 308 ss; 510 ss.).

Opus, nitidis litterarum formis expressum, miram ostendit sermonis claritatem et ardentem Auctoris in Beatam Virginem pietatem redolet. Haud parvae igitur illud omnibus erit utilitati quo vehementiore in dies amoris studio Sacrorum Administri Catholicaeque Ecclesiae filii « pergant colere, invocare, exorare beatissimam Dei Genitricem

Virginem Mariam sine labe originali conceptam atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant ». (Ex Litt. apost. *Ineffabilis Deus* Pii PP. IX d. 8 dec. 1854).

I. P.

F. Lelotte S. I., *La soluzione del Problema della Vita*, « La Scuola » editrice, Brescia, 1951 - 5 quaderni.

Incidimus in tempora mala! Certe quaestio de reordinanda societate gravia, praesertim post duo immania atque universalia fere bella, problemata complectitur, quae pro logica et veridica solutione pulsant. Sunt qui haec ignorent aut se ignorare illudant. Sunt e contra et homines bonae voluntatis quos existentia ipsa problematum anget, vexat, cruciatque. His ultimis porro cl. P. Lelotte S. I. christianam et catholicam vitae problematis solutionem praecipuis lineamentis proponit quinque his chartarum fasciculis, quos Marius Pasini italice perpulchre reddidit ex quinta editione belgica, aliique anglice, neerlandice, lusitane, hispanice, chinice et iaponice usque adhuc reddiderunt. Inde, saltem externe, iam primo obtutu operis valor intrinsecus manifestatur. Revera iam in primo paginarum scapo quaestio summis lineamentis proponitur atque adumbratur sive quoad vitae ipsius problemata gravia, sive quoad diversas hominum coram problematibus fictiones seu simulationes, sive quoad animorum dispositiones, quae ad tantum adgrediendum opus requiruntur. Dramatis deinde personae describuntur, *Deus* nempe et *homo*, quorum relationes philosophice et scientifice examinantur, stylo ferreo atque lapidario et forma agili ac selecta.

Alter et tertius paginarum scapus, eadem styli concitatione eademque forma et efficacia, Catholicam salutionem adumbrat et ad modum fabulae ad quinque actus scaenarum compositae, successive de creatione in genere et in specie eiusque rege seu homine agunt; de elevatione hominis ad ordinem supernaturalem; de originali culpa eiusque effectibus; de Redemptione; de permanentia Christi terrena visibili et invisibili in Societate ecclesiastica. Quartus fasciculus optime de nova dignitate agit hominis a Christo sanguine suo pretiosissimo redempti: Ecclesia enim, sponsa Christi, et humanam personalitatem extollit et corpus humanum apprime curat, intellectum veritatibus tum naturalibus tum supernaturalibus exornat, cor ad sensibilitatem dilectionis et amicitiae educat, totumque hominem in Christi mystico Corpore inserit eumque visibili communitati Ecclesiae adhaerere facit. Ultimus fasciculus ethice solutionem problematum quaerit, sociales quaestionis, quae dicuntur, aspectus agitando: inde agit de familia, praesertim de matrimonio, de Statu eiusque suprematia atque ad intra et ad extra relationibus, necessitudines, inter Ecclesiam et Status ex ipsa dispositione divina exsistentes, peropportune tangendo. Denique, de bonis materialibus disserit eorumque destinationem et valorem ostendit, ac de eorum divisione, iuxta mentem Ecclesiae, deque legitimitate et limitibus

proprietatis privatae tractat. Ultimo quaestionem adgreditur de relationibus, quas inter capitale et laborem, uti aiunt, intercedere deberent, ad bonorum, unitis viribus, productionem quod spectat: ubi non solum de salario iusto et familiari agit sed et de compartecipatione laboris cum capitali, iuxta catholicorum sociologorum elaborata, ut omnibus inde productio bonorum prosit et amice dissidia ad iustitiam componantur inter capitale et laborem.

Reapse, non apologeticam Doctrinae Catholicae demonstrationem theologico sermone confectam sibi cl. P. Lelotte proposuit, sed eiusdem potius descriptionem ita persuasive et admodum vivide conceptam ut desiderium increduli, immo et errantis christiani, excitet, Ecclesiae se humillime et filiali animo subiiciendi atque doctrinam catholicam amplectendi, quippe quae veram et unicam problematum vitae individualis et socialis solutionem proponere valet. Et optime videtur Auctor in proposito successisse, veluti quando Philippus de inventione Messias Nathanahelem edocuit eumque ad Christum duxit: « veni et vide » (Ioh. 1, 45).

AUGUSTINUS PUGLIESE

VICTORII GENOVESI S. I., *Poëmatia* - Macioce - Isola del Liri, 1946, pp. VII-284. - *Musa Latina* - Ausonia Roma 1951 pp. 248.

Quanto animi ardore Reverendissimus P. Victorius Genovesi S. I. Sacrae Rituum Congregationis Hymnographus linguae latinae revocandae et promovendae hucusque operam navaverit perbelle commonstrat utrumque enunciatum volumen, in quo collecta apteque distributa inveniuntur carmina quae poëta asserit se « *horis subsecivis composuisse* » (Poematia, VIII), quamvis ipse latinam linguam nunquam docuerit, nec litterarum studiis unquam, dedita opera, vacaverit, nec patrias studiorum universitates frequentaverit (ibidem).

Longum sane cunctorum carminum vel indicem huc referre; pauca tamen delibare liceat.

Ex carminibus, quae *priore* in volumine continentur, quorumque varia atque diversa sunt argumenta, pulcherrima mihi visa sunt *illa, quibus poëta* modo auspicatur felicem illam diem « *cum gens humana coibit mite sub imperium Christi* (Roma caput mundi, p. 3 ss), modo de materia prima, sublimibus cogitationibus, disserit (Hyle, p. 25 ss), modo *Satanam* egregie depingit « *cunctorum juge malorum principium* », (p. 43 ss), modo describit *circulatorem in nundinis* (p. 69 n.), modo *sirpillum chartarium* (p. 145 n.), modo iuxta capsellam undisonam *taedium vitae* mirifice ostendit, eo se conferre percupiens « *vox ubi nulla sonet taceant et murmura mundi* », (p. 152) (p. 169), modo tandem, ut reliqua praeteream, preces fundit pro patria, prostratus ad aram ». (Deprecatio pro patria pag. 250 ss.).

Altero volumine, cui titulus: *Musa latina*, lectori humanissimo qui latini sermonis studio adhuc accenditur, neque mechanicarum artium aestu penitus absorbetur, carmina exhibentur quorum aliqua a. 1942

excusa typis prodierunt, cetera *nunc primum* in lucem edit auctor « *lima mordacius usus* » (pag. 5).

Huius quoque voluminis, ratione et materia, diversa sunt carmina. Ex eis *peculiari mentione* notanda videntur carmina quibus poëta vel pacem enixe implorat (Pacis imploratio, pag. 87 n.) vel *epicedion patriae*, aerumnoso animo, canit (pag. 97 ss), vel de *Verbo* docte acuteque disserit (p. 103 ss.) vel, vehementibus animi motibus, facinora dilaudat cuiusdam militis patrio amore acti (Patrius amor, p. 119 ss.), *vel nuntiorum publicorum glutinatorem* ita depingit ut rebus adesse eumque conspicere censeamus (Nuntiorum publicorum glutinator, pag. 149 ss.), vel tandem mortem ipsam pulcherrimae adulescentulae specie indutam in conclave quoddam inducit saltantem. (Mors comes, p. 215 s.s).

Carminibus, quae hoc in volumine continentur, adduntur epigrammata arguta e. g. *de idealismo*, *de communismo* (p. 102 ss) *atque de re politica.* (p. 212 ss).

Exstat denique appendix quae inscribitur: « *Roma lumen orbis* » (p. 227 ss) qua acroasi - in certamine prosae orationis latinae ab instituto Romanis studiis provehendis praemio Urbis Romae ornata - auctor stilo et arte ad summum fastigium perducta, commonstrat quantum Roma, Christianorum cruore purpurata, Caesarum palatiis antecellat.

Quo vero etiam qui latino sermone minus exercitati sunt facilius carminum intelligentiam assequerentur, poëta eisdem liberam translationem italicam adiecit. Quot praeterea quantaeque sint utriusque voluminis carminum virtutes illico lectori patebit qui adverterit illa nedum patefacere auctorem facilem et in componendis cuiuscumque generis versibus exercitatum, sed etiam facilem in recentibus inventis apte latine exprimendis. (Musa latina, p. 146 et passim).

Nitent quoque in carminibus, una cum sermonis perspicuitate, numerorumque varietate, saltem saepe, animi impetus et concitatio. Quare merito dicitur noster unus exstare qui cum poëta Ioanne Pascoli comparari queat [1].

Nihil igitur miri si Judices Hoeufftiani poëmatia, maximam partem, vel praemio aureo vel magna laude digna aestimaverint.

Habes proinde, lector, quae continenter manu verses carmina in quibus praesertim Vergilii et Horatii numerosi late assonat echo.

Una cum ceteris auctoribus, hisce in ephemeridibus indicatis [2], dilectissimus tibi quoque sit P. Victorius Genovesi, ut lingua latina, quam ipse lamentatur despicatui haberi [3] ex oblivionis et contemptus tenebris extracta, gloria sacerdotum reapse sit evasura.

I. P.

---

[1] Cfr. Antonio Bacci, La perenne vilalità del latino e la Compagnia di Gesù, in *Osservatore Romano*, 15 nov. 1951, n. 266 (27812) p. 3.

[2] P. Aem. Springhetti S. J., Lingua latina, gloria sacerdotum, in *Monit. Eccles.* vol. 76, fasc. IV, p. 673-74.

[3] *Poematia*, p. 207.

DOCUMENTA
ET
CHRONICA

NUNTIUS RADIOPHONICUS

DE CONSCIENTIA CHRISTIANA IN IUVENIBUS RECTE EFFORMANDA *

